
BULLA
URBANI VIII. PONTIFICIS MAXIMI,

Contra

CAROLUM DUCEM LOTHARINGIÆ, ET BEATRICEM CUSANTIAM:

Publicata Romæ 23. Aprilis 1642.

Nec non



EXCEPTIONES.
CAROLI DUCIS ET BEATRICIS CUSANTIÆ NOMINE

à Procuratore Generali Curiæ Supremæ Lotharingicæ per appellationis modum oppositæ.



Ex gallico idiomate latinæ factæ

Anno 1642.



EXCOMMVNICATIO DVCIS CAROLI
per Vrbanum VIII. in perpetuam rei memoriam.

DEcet summum Pontificem, in cuius personam diuina prouidentia ordine immutabili principatum Ecclesiæ uniuersalis ad eradicationem & destructionem rerum noxiarum contulit, ex potestate à Deo traditâ, in eos qui non tantùm sacros Canones & mandata Apostolorum, sed etiam Sacramenta à Domino nostro instituta violant, publicè animaduertere: ut proteruius delinquentes, qui spiritu mansuetudinis non emendantur, publicè reprehensi & notati, oculos animi aperiant, & in suum emolumentum propriâ turpitudine dedectâ confundantur, ac isto modo salutis curam instituant: atq; ut alii metu similis pœnæ intra officij cancellos contineantur. Nos itaq; certiores facti, non sine magna animi cõmotatione, quod Nobilis Vir Carolus Dux Lotharingiæ ex authoritate priuatâ nostram percharam filiam in Christo, Nobilem fæminam Nicolaam Ducissam Lotharingiæ deseruerit: quam Sacrâ Sede indulgente in uxorem coram Ecclesiâ se-

cundum regulas ſacrorum Canonũm duxerat,cum quâ & publicè complures annos vixerat proq; uxore habuerat: nihilominus ſub prætextu,ac ſi,quod ipſe in hoc matrimonium non conſenſiſſet, id nullum foret; non expectato,imo non quæſito quidem Eccleſiæ judicio prædictâ Nicolaâ ſuperſtite, temerario auſu ad nuptias neſarias, nouo matrimonio cum Beatrice Cuſantiâ, Eugenij Leopoldi Comitis Cantecrocij viduâ inito, conuolârit: Putauimus ex officio noſtro Paſtorali nihil amittendum eſſe,quò prædicti Carolus & Beatrix ex tali ſocietate eruantur; unde ſeparationem, in eiuſmodi caſibus per Canones nominatam injunximus,donec Eccleſia de nullitate,quam ipſe prętendit ſui matrimonij cum prædictâ Nicolaâ,ut molliter ad obſeruantiam noſtrorum mandatorum,& Sanctæ ſedis inducerētur, ſententiam ferret. Nam ſæpius monuimus, non ſolùm diuerſis ſermonibus,qui cum ipſis venerando fratri noſtro Archiepiſcopo Melinenſi in eum finem unicè miſſo, tùm Nunciis noſtris, & filio percharo Martio Cardinali Ginetti Legato à latere pro pace ad principes Chriſtianos interceſſerunt: ſed & per literas noſtras & ſollicitudines. Quod maius eſt,beneuolentiam noſtram Dieterico Cheminotto qui prædicto Carolo eſt à Confeſſionibus ad nos miſſo & humaniſſimè excepto, eâ fini à judicibus ordinariis ad nos cauſâ euocatâ, aperuimus; datâ fide inſuper,
modo

modò ille à Beatrice prædictâ separaretur, de judicibus neutri partium suspectis, qui nullitatem nuncupatam matrimonij cum Nicolaâ contracti cognoscerent, promtè dandis. Verùm dum signa nostræ Clementiæ indubitata referret, fraudulenter & per dolum quippiam responsi à quibusdam Theologis, unde aliquid authoritatis malè cæpto consilio adderet extorsit, tantum nefas committendi scilicet, ut ex se diuortium cum prædicta Nicolaa fecerit, ductâ Beatrice. Etsi verò iidem Theologi fraude tandem compertâ, suam sententiam declarauerint, & consilium prius reuocârint: nihilominus ille Carolus primo responso fretus, fraudibus innixus, & fallaciis superioribus, ita in peccato suo occalluit, prout audivimus, ut spretis Archiepiscopi Melinensis, Nunciorum nostrorum & Legatorum dictorũ, imò nostrismet adhortationibus, obstinatè recusârit obedire. Nam etsi sæpissimè promiserit, se Beatricem illam aliquò in Belgium, & tandem annuente Cardinale Ginetti, Coloniam ablegaturum: nihilominus ex pluribus vanis prætextibus, nunquam sustinere potuit eius absentiam: sed posthabito Dei timore præ illius conuersatione, perrexit illam ut legitimam uxorẽ habere & officia matrimonii addere. Vbi ergò nequiuim⁹ eosdem Carolum & Beatricem admonitionibus suavibus & paternis ad obediendum quod conveniebat flectere, postquam tractatus illi paulò

minus anno ſine fructu agitarentur, ſed ex aduerſo, ipſorum contumacia & rebellio magno cum ſcandalo toti⁹ Reipub. Chriſtianæ indies creſcat. Propter tàm notorium & deteſtandum facinus: & prædictâ Nicolaâ frequenter petente, ut ſuæ famæ, juſtitiæ cauſæ, & mariti conſcientiæ conſuleremus: Injunximus Archiepiſcopo Malinenſi, ut juridicè iiſdem Carolo & Beatrici denunciaret, quò ab inuicem ſecundum normam ſacrorum Canonum ſepararentur. Et ne iſtæc ſeparatio ulli fraudi pateret, Caroloq; acceſſus ad Beatricem præcluderetur, ipſa in Monaſterium veſtalium ſeuerioris diſciplinæ pro ſuâ aut Archiepiſcopi Malinenſis arbitrio ſecederet, donec argumenta nuncupatæ Nullitatis de matrimonio Caroli & Nicolaæ judicio definito examinarentur, ibi commoratura. Paruit prædictus Archiepiſcopus, & literis monitoriis legitimè inſinuatis primitus Beatrici, poſtmodum Carolo, juſſit, ut ſub pœna excommunicationis, quam de facto incurſuri eſſent, ſepararentur. Sed tantum abfuit, ut dictò ſe audientes exhiberent, quin imò Carolus mala malis addendo, Beatricem in Lotharingiam transportauit, ei publicè, cum magno omnium ſcandalo cohabitans, ad eum criminis gradum provectus, ut ſubditis etiam jurejurando impoſito, & uxorem Legitimam & Duciſſam Lotharingiæ eam dederit coâctis ad eoſdē honores, præeminentiam & officia Duciſſæ genuinæ debita.

Neq;

Neq; tamen nos, ut merebantur fulmen Apostolicæ indignationis in illos contorsimus, dum eos patienter etiamnum toleramus, & iterum singulariter benigneq; exhortamur, eundem Carolum, omni in futurum excusatione præreptâ, placuit Beatricem Monasterio non includi, modò Lucernam Heluetiorum, ubi Nuntius noster residet, abiret, & vitam à Caroli conversatione penitus separatã, usq; ad finem processus ageret. Sed hæc iterata nostræ benignitatis testimonia animos obstinatos non cõmouerunt: ita ut Carolus & Beatrix præfractè in suis peccatis perseuerent, etiam post monitorias nostras ritè exhibitas, quib⁹ neglectis cohabitant, sub eodem tecto pernoctant, eâdem mensâ cibum capiunt, eodem lecto recubant, quemadmodum ex processu verbali tàm notorij facti in dubium non revocandi apparet: EX consilio quorundam venerandorum fratrum nostrorum Cardinalium sanctæ Ecclesiæ Romanæ, ad id singulariter deputatorum exemplo rei & offensâ in universam Christianorũ Rempub: permoti, solâ Archiepiscopi Malinensis, cæterorumq; à nobis delegatorum declaratione ulterius stare noluimus; sed nos ipsi Censuras, quas Carolus & Beatrix incurrerant, declarare, quemadmodum inde à 13. Febr. proximè elapso declarauimus excommunicatos & anathemate notatos: Deinde etiam proposuimus omnibus Christianis notum facere & promulgare,

eosdem

eoſdem Carolum & Beatricem excommunicatos eſſe & anathemate notatos, ut ſuprà. Vnde ex authoritate Omnipotentis Dei, Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtrâ: *Pronunciamus & promulgamus, Carolum & Beatricem jam excommunicatos, & præcipimus, ut fugiantur & eorum frequentatio ab omnibus fidelibus Chriſtianis vitetur, quousq; gremio ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ reconcilientur, abſolutionemq; ſuperiorum Cenſurarum impetrârint, ſeparatione ab inuicem canonicè factâ, cuius ſeparationis canonica cognitionem nobis & noſtris ſucceſſoribus Papis retinemus: Injungimus omnibus & ſingulis venerandis fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſub pœnâ interdicti de introitu in ſua templa: tùm & filiis noſtris percharis Prælatis Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium & Collegiatarum, Conuentibus & perſonis Eccleſiaſticis quibuſcunq;, tàm ſecularibus quàm cuiuſcunq; ordinis fuerint: imò Mendicantium, congregationum & ſocietatum, qui hîc etiam deberēt nominatim deſignari, regularibus, exemptis & non exemptis, ubicunq; locorum ſint conſtituti, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnâ excommunicationis, ut ad primam petitionem coram, virtute præſentium factam, intra triduum promulgeant & annuncient, eoſdem Carolum & Beatricem excommunicatos & anathemate notatos, in ſuis templis, diebus Dominicis & aliis feſtis ad maximam populi cultus diuini gratiâ multitudinem confluentem, Manifeſta in eum finem valuis templorum ſuorum affigant, aliisq; annunciandum curent, jubeantq; ut ab omnibus fidelibus Chriſtianis id fiat.*

id fiat. Præterea prohibemus eundem Carolum, ut ne secum habeat, colat & reputet vxorem atq; Ducissam Lotharingiæ eandem Beatricem: ac ipsam, ut ne se dicat & reputet talem; sub iisdem pœnis excommunicationis, quarum remissio nobis & nostris successoribus reseruatur &c. Manifesta superiora eiusdem ponderis esse, ac si personis eorum coram essent significata &c. Quod si & alteruter aliquas dispensationis literas in contrarium forte obtineret; nullæ fuerint, nisi sensus præsentium contineatur, aut mentio singulatim earum fiat &c. Affixum ad Diui Petri Romæ, 23. Aprilis 1642. anno 19. Pontificatus nostri.

Ex copiâ gallicanâ Parisiis 21. Maij 1642. impressâ latina.




DISCEPTATIO
JURIDICA


Advocati Generalis in Curiâ Supremâ Lotharingiæ & Barry, propter appellationem falsi interpositam

à Procuratore Generali eiusdem Curiæ super sententiâ excommunicatoria:

Nomine Urbani Octaui Papæ pronunciatâ contra Duces Lotharingiæ.



Domini Ordines.



Ut Lotharingi degeneres, aut Ducis infidi Ministri audiremus omninò, nisi Papam, sanctum Patrem nostrum, quocunq; tandem jure querulemur de ipso, æquè veneraremur, & amplius quàm ij, quos ipse quotidie gratiis immensis cumulat. Fatendum nihilominus, si obedietia in Principem & vestigia eius ritè obseruata nos subindo ultra officij & humilitatis gradum infimum pessundent, non tantùm ut in eo Majestatem Ecclesiæ, quem Caput eius visibile in terris agnoscimus, reuereamur, sed etiã, ut suam Ipse authoritatem nostro cum detrimento restauret; Non minus inde nos obligari Principi, Patriæ, Politiæ, Jurijurando naturali, Officio muneris & Honori proprio, Et ut compendio dicam, tot Juribus diuinis & humanis, quæ hodie libello quodã diffamatorio, in formâ Bullæ, sub nomine Papæ Vrbani Octaui contra sacratos Duces nostros prodeunte, indignè violari videmus.

Equidem is non sum, qui axiomata politica Ecclesiæ emolumento, aut nomen Lotharingicum Christiano decori præferam: Attamen Ecclesiam Romanam à Curiâ Romanâ, Cathedram Diui Petri cohorte Papali dextrè distinxero, utpote gnarus, non minus Catholicæ *Catholicus genuinus distinguit Ecclesiam à Curiâ.*

fidei esse, ob huius abusus conqueri, quam illius integritatem prædicare. Istæc Theologia, ordine perquam iniquo potentiam Pontificiam contra Politicum statum statuminans, arma quibus iniustas Censuras generosè repellamus ostendit: adeò, ut peccato, quicunq; aliquâ executioni earum inseruierint, constringamus mortali.

Papam absq; propinqvis suis fier non posse, non minimum est Ecclesiæ infortuniũ. Excommunicationes sunt ludibria Papalium.

Pontificatum à multis Ecclesia sæculis, quantumuis felicem, ambitione Propinqui, aut libidine Ministri alicuius peruersi inconcussum, non vidit. Neque enim dicam ego irreuerentiæ erga personam sanctitatis Ipsius (cuius tantummodò nomẽ in hoc negotio vrget) meruero, si planctus gemitibus Columbæ admiscens meos Justitiam implorem contra vim eorum, qui alienâ ætate abusi caducâ, fulmina non nisi in pernitiem hæreticorum & complicium parata, affectibus suis contra eum Principem, qui quotidie sanguinem & vitam in tuitionẽ Ecclesiæ exponit Catholicæ, profanè accommodant.

Ministrorum malorum machinationibus obviam ire, est Ecclesiam sibi obligare.

Et vt verum dicam, Optima Mater Ecclesia jure nos socordiæ arguat, si honorem suum in eorum qui ei malè præsunt turbulentis consiliis ignominioso destitueremus obsequio: imò lædetur, si iusto hoc nostro dolore quẽ sinister iste processus excitauit, putemus læsam. Verùm ut ipsa nõ tangitur, nisi eâ ægritudine, quâ videt suam gloriam profanorum contactu manuum marcescere; ita gratum habebit, vbi Suam ab illorum causa seiunxerimus, vniuerso Mortalium generi clarum facturi, Quod Ecclesia possit in medio corruptorum Ministrorum absque macula consistere. Quod si eodem casu, quo Sponsa in cantico obreptione aut vi Eam hodie è domicilio, finibus iuris sui dicundi scilicet, extrahi contingat, vt imprudens in plateis erret & porticibus, huic nostro Dominio quod facit imminens: Recordamini,

Intentio Ministrorum Ecclesiasticorum de Dominiis Principum inuadendis fi-

Domi-

Domini Ordines, eius custodiam vobis commissam: videte, ne vos aut timidos aut somnolentos offendat, sed aduigilantes, armisq; expeditis, nō quidē vt verberibus & ignominiā eam compingatis, quemadmodū illi alteri euenit, sed vt domū suā reducatis prorsus venerabundi.

gurata est in sponsā Cantici.

Neque dixero, vt eâdem modestia fruantur, qui importunius solliciti exorbitationem iudicii huius invexerunt. Tametsi enim Bulla quæ vocatur, præter Dominæ Nicolaæ (à cuius ingenio nemo putârit alienum, si ab antiquo animo reversa, vt Papæ persuasum volunt, obnixè contendat istiusmodi maritum) nomen nullum sonet: vtique alios habemus adversarios multò vehementiores Ipsa, Inimicos subdolos & in ipso Statu latitantes, qui odii, invidiæ, ambitionis, crudelitatis & furoris œstro perciti, posteaquam nuntium remiserunt omni sensui amoris, naturæ, fidelitatis & obediētiæ Principi debitæ, sese causæ immiscent. Adversus istos debetis statuere exemplum seueritatis & rigoris memoriâ dignum, vt mortales intelligant, nec præmio sanguinis, nec lege naturæ quenquam ab obedientiâ officii eximi, adeòque Priuilegia, quibus præcedunt cæteros Ducis subditos, non nisi ad augendum crimen, & ad Clementiæ viam præcludendum valere.

Crudelitas maiori crimini vertitur magnatibus, quàm plebejis.

Sed videamus effecta istius sollicitationis: Istanc egregiam sententiam Papalem, quam modò iudicaturi estis, Istanc sanctam & Juridicam Censuram, aduersus quam vestrum Justitiam imploro: Istanc Bullam, in quam, in qua pro vindiciis Ducum & Procuratoris Generalis conclusionibus obtinendis, plura falsa & nullitates demonstravero, quàm lineas habet, & plura crimina quàm cogitata. Quemadmodùm verò ipsa est Chimæra ex duabus naturis diuersis conflata, nempè ex

Potest quis cum reverentia se adversus Ecclesiam defendere, & acerrimè malitiosos Ecclesiæ aggredi.

 prodi-

prodigioſo abuſu Spiritualis & inuaſione Secularis authoritatis, ita ad arma, quibus hoc monſtrum conficiam non vnius generis, Offenſiua quidem contra vim Eccleſiaſticam, & Defenſiva contra impetum omnem, qui temporalem & principatum vni Deo acceptum quatit, arripienda compellor.

Quomodo erga excõmunicationes affici conveniat.

Sed antequam pedem moueam, operæ pręcium fuerit, Obſtacula, quibus faciliores hominum animi imbuti ſunt, & ad ſonora iſta nomina Summi Pontificis, Excommunicationis, Fulminationis, attoniti hærent, excutere. Difficile non fuerit ex panico terrore eos reſtituere, modò ſenſum communem ſequuti duo axiomata audiant, cœleſti iuxta & terrenæ Philoſophiæ approbata: Nihil æquè damnoſum, quam magnarũ rerum immoderatio: nihil æquè pernicioſum, quàm bonarum corruptio.

Fulmen eſt periculoſum in manu hominis.

Nullus dubito, Excõmunicationem ſanctè ab Eccleſiâ inſtitutam: at puritas Inſtitutionis raro in eius uſu inuenitur, eò quòd hominum manibus perpetretur: neq; enim ullus calamus adeò venalis, aut abuſibus Romanis æquus fuerit, quin in Beneficiis diſtribuendis, Avaritiâ & Ambitione præſidibus perpetuum id agnoſcat. Potiori cum ratione tulerimus nos idem iudicium de multarum irrogatione, maximè quibus Principes corripiuntur. Nam in decliui ſeculorum quo vivimus, &

Paucæ Excommunicationes ſine affectu.

Zelo primæuo emortuo, vix Papas inuenias, quorum animus audeat Magnates percellere, niſi nimium perverſis conſiliariis, irâ & vindicta, concitentur. Atq; vt etiam ſola Dei gloria eos ad extrema hæc permoueat, experientia tamen docuit, violenta iſta remedia ſæpius eſſe malo peiora: vbi noſtrum fuerit, à Deo petere benignos Principes, ferre qualesquales dederit. Atqui innocen-

nocentissimis primis seculis, quando Papæ erant reuerà, quod volunt vocari hodie, prout sunt hodie quod aliquando merebantur esse, Historia nullum nobis suppeditat exemplum istiusmodi fulminationum. Nam quod intervenit Sanſto Ambrosio & Theodosio, non erat Excomunicatio, sed admonitio verecunda magni sanſtiq; viri ad magnum Imperatorem, vt publicè abstineret sacris mysteriis, quòd manus sanguine etiam stillarent multorum Christianorum innocentium, quos expilatio & horror gladii trucidauerat Thessalonicæ. Lites inter Gregorium Septimum & Imperatorem Henricum quartum materiam Excommunicationibus primis in Principes præbuerunt. Sed calamitates Ecclesiæ & ipsius Papæ infortunati, mors infausta, pœnitudo facti & venia ab Imperatore humiliter petita, satis demōstrant, nævos Principum commodius dissimulari quàm puniri. Doctrina prorsus egregia concitatioribus ingeniis, quâ manus nimis promtas cohibeāt. Neq; verò patrocinium illius Causæ, aut aliorū, si qui post ea tempora fuerunt afflati fulmine simili, successu Ecclesiæ nō minus funesto suscipiam. Hoc vnum egero, vt demonstrem, si cœlum violentiam in culpabiles improbavit, eam vtiq; detestandā, qui in innocentes intendatur. Quapropter néq; primitus acceptetur cæcâ obedientiâ, sed iustitiâ seriò expendátur. Ita sentiunt sancti Patres, quorum nònnulli asseuerant, tales Censuras nunquam approbatas Deo, languere & emori. Alii vlterius contendunt; Imprecationes recidere in ceruicem iaculantis, vt ne quidem Pontifices Maximos excipiant. Quibus de causis Tridentinum superioribus Conciliis consonè fréquentiores Excommunicationes sustulit, quæ hoc seculo vulgatæ & adeò contemtæ sunt, vt quilibet Novitius

Primæva Ecclesia nullum habet exemplum excōmunicati Principis.

Origo Excommunicationum in Principes funesta authori.

Judicium Patrum de Censuris.

Concilium Tridentinum.

vitius

vitius, scrupulosæ licet mentis, vnico verbo sui Superioris demissius pareat, quàm omnibus Vaticani fulminibus. Verbo dicam, Excōmunicatio non est crimen, sed pœna, quæ ex naturâ sui generis neq; ignominiam neque infamiam infert, id quod causa facit, quæ latronem à Martyre distinguit. Eam trutinemus primò in hoc negotio secundum Ludouici sancti regis Galliæ effatum, qui petitioni Ecclesiasticorum, quòd Ministri regii appellationes causarum susciperent rectius examinandarum, Christianè & regiè respondit, Quoniam Ecclesia sua vteretur authoritate in exequendis suis sententiis, teneri se ex conscientia prius argumenta causæ ponderare, ne aliquando Deus à se rationem exigeret Reipublicæ per oppressionem & iniustitiam qvamvis alienam male administratæ. Hinc necessario concludo, Non omnes Excommunicationes, quod à Papa emittantur, iustas: non omnes iustas, easdem & semper vtiles esse: Iniustas reiiciendas, vtrasq; verò, antequam recipiantur, rigidè probandas.

Excommunicatio ex causâ est æstimanda.

Responsum Ludouici sancti rege Christiano dignum.

Verum sanè est, Domini Ordines, sententiâ Romæ, nono Aprilis proximioris latâ & ibidem vigesimo-tertio eiusdem mensis publicatâ, Duces Excommunicationi subditos, ac pronunciatos: sed quo Judice, & quo foro? Scio nomen Vrbani Octaui Papæ altū tonare; sed & hoc verum est, hoc eodem nomine complures quæsitum, vt Maiestates Imperialis & Catholica Personam & Dominium Ducum diripiendum Galliæ, pretium pacis iniquissimum, relinquerent: hoc eodem nomine Nuncii Bichius, Mazarinus, & alii Sanctitatis Ipsius Ministri à longo tempore domus Lotharingicæ, tametsi oculos populi perstringere mirè adniterentur, procurabant interitum: hoc eodem nomine Cardinalis Barba-

Causæ, cur Papa recusetur.

Propositio pacis inter duo regna facta in damnum domus Lotharingicæ.

Astutiæ Nunciorū Bichii & Mazarini.

Barbarinus, captata ex infortunio antiquissimæ & regiæ familiæ occasione, lubens suscitauit litigia aduersus principes propinquos & affines, vt honore & procathedriâ quam Romæ, nemine unquam contendente aut excipiente continuò possederat, deturbaretur: hoc eodem nomine Cardinalis Ginetti legatus Coloniam missus, ostendit propensiorem animum in Suecorum commoda & Protestantium, quàm nostra, disertis verbis denuncians, Quos sua sanctitas ad pacem communem articulos proponeret, Lotharingiæ restitutionem in nullo, aut perquam exiguo momento collocare.

Vecordia Cardinalis Barbarini.

Legatus Ginetti maleuolum animum Papæ in domum Lotharingicam prodit.

Optimè noui, Domini Ordines, vos testimonia istarum rerum non requirere: siquidem in partem regiminis adsciti, non potestis ignorare, quid Legati Ducis Româ, quid Hispaniâ, Angliâ, Viennâ, quid Ratisbonâ & Coloniâ pro fide sua retulerint: quid Manifesta regnorum publicârint: quid hostes non potuerint tegere neq; mens conscia Barbarinorum negare.

Post signa tàm euidentia inimicitiarum professarum, supervacuum foret repetere quod vniuerso Orbi innotuit, magno scandalo Bonorum; scilicet tempore desolationis nostræ, cum ordo Ecclesiasticus principis protectione orbatus à sancta Sede auxilium speraret, illustris cuiusdam Ecclesiæ Lotharingicæ, quæ dotis & fundationis opimiores erant partes discerptas, non tantum vt alienigenæ, contra leges sacras patriæ, sed & jurati hostes Ducis, iis fruerentur: omnia beneficia, quæ à multis annis vacabant, ita prostituta, contra ius electionis, vt boni & fidi incolæ posthaberentur, quorum zelus & amor in principem & patriam Romæ semper Irregularitatis ferebant nomen, sicuti odium inimicorum characterem meriti.

Alia signa odii Barbarinorum in domum Lotharingicam, & personam Ducis.

Sed in quem finem Barbarinorum odii demonſtrationes operoſè conquiram extra Bullam nuncupatam, quoniam ea nil præter farraginem iniuriarum & blaſphemias contra perſonas ſacras Ducum continet? Stylus neq; Parentem, neq; Iudicem refert, ſed inimicum infamiam liberorum exaggerantem; correctione ſusq; habitâ. Principium tantùm & finem operis toxicati, ut Africanum ſerpentem illum, cui natura utrinq; dedit caput porrò & retrò morſus inferēdi: *& gravis in geminum ſurgens caput Amphisbena*, videamus.

Bulla ſcatet contumeliis in Duces.

Nam in exordio Elogii & honorifici tituli loco Duces vocitantur Violatores ſacramentorum & ſanctorum Canonum: eodem quippe tempore, quo Dux ſtricto enſe eos nitebatur reſtituere, vnde Barbarinorum factio penè totos eiecerat. Vocitantur Animæ perditæ, Peccato traditæ: & Coniugium ipſorum facinus horrendum & deteſtandum, non ſine præiudicio totius cauſæ, quod Cenſores noſtri ſine vllâ cognitione edidêre: cauſa quippe recuſandi iudicis, iuſtiſſima, ſi quæquam alia.

Ponderoſa cauſa recuſationis contra authores Cenſuræ.

Si caput huius Amphisbenæ venenum ſic ſuum evomuit, nil minus per poſteriora eiaculata: eſt in eo damnoſius, quod lateat ſub inuolucris obſcuri ſermonis, popularib⁹ parum intellecti. Author Bullæ, intentās ictum internecinum abſq; remedio, putat derogatione omnium indultorum, gratiarum & conceſſionum vniverſim & ſpeciatim datarum, tàm à Pontificibus Maximis, quàm à Canonibus, ut innocentes tegat contra iniuſtitiam ſimilium Cenſurarum, aut eneruet etiam in culpabiles, Duces ſatis ſic reciſos. Et quod malitia non caret, minusq; quadrat: cùm probè ſciret fundamenta Excommunicationis, voluit iuſtam reddere, & ſupple-

Iniuſta derogatio indultorum, quæ Duces Lotharingiæ à ſanctâ Sede habent.

Clauſula ridicula Cenſuræ.

supplere omnia requisita juris & facti, imò formæ & solennitatum substantialium, vnico eo verbulo. Quod nihil aliud est, quàm omnes justitiæ & veritatis defectus explere, absolutè imperare vt falsum concedat in naturam veri; innocenti culpa incumbat, & iniustitia nomen æquitatis auferat: siquidē nec veritas cognoscitur in errore facti, nec justitia administratur in defectu juris.

Sed hanc clausulam paulò exactiori adhibebimus examini, vbi locus fuerit: nunc vno hoc contenti, digitum omnibus aspectantibus intendisse in censorum nostrorum extremam iracundiam, & ridiculum tumultum. Elucescet verò id clarius, si tempus publicationi opportunè quæsitum aduertatur: nam vbi tonitru hoc diu in nubibus affectuum cohibuissent, tandem eruptum voluerunt eo momento temporis, cum Dux castra protulisset, quo formidine & honore subuerterent mentes bonas, quæ Ducem sequi, eiq; operam addicere in honore ponunt: imo vt quiuis casus armorum vt plerumq; anceps anathemati huic attribueretur. Verum, metuendum potius, ne Ducis subditi sinistrè de Sancta sede, & de authoritate Ecclesiæ, ex iniustitia huius negotii per obreptionem malè judicati, cogitare incipiant, quàm vt languore fidelitatis erga Ducem & dominum corripiantur. Nos quidem speramus, diras Baleami, dum justa & gloriosa consilia tanti principis prosperè procedere maleuolo oculo videbunt, in authorum capita relapsuras.

Propositū erat Barbarinis, expeditionem Ducis impedire.

Quæret fortean aliquis, quænam tàm crudelis odij causa extiterit: *tantane animis cælestibus iræ?* Quid verò opus, causam inquirere, cuius effecta patent? Proferant illi ipsi si frontem habent in contumeliam suam

Causa odii Barbarinorum in Duces.

& turpitudinē planam. De me, Domini Ordines, liberè dicam, non posse me hoc negotium sine rubore tangere, atq; dolore. Quis nescit vægrandia illa Orbem terrarum describendi consilia, ut nova nomina in domos illustres irrepant, ubi Barbarinorum sors nihil infra regnum, aut exuviis regnantium, aut detrimento Christiani nominis & eversione templorum atq; altarium, partum complecteretur: si qui obstabant, meruerunt ipsorum inimicitias. Hinc Ducem & Dominium hoc urgent perpetim, frustratiq; quod restat, in solatium vanæ spei Capita legitimis coronis fulgentia calcant.

Videtis, Domini Ordines, æquissimas causas, Judicem inimicum, qui sententiam condemnatoriam omninò promulgeat, reiiciendi: Definitivam utiq; ex præiudicio Authoris bullatici à causa ad decisionem recipimus jam; unde ipsi ulterior cognitio est præcisa.

Præjudicium Papæ.

Quæritur de Valore Matrimonii. Lis nondum est contestata: Papa decisionem sibi retinet, subitòq; præter formam qvancumq; processûs pronunciat: Nefarias esse Nuptias, detestandum facinus. Quid præiudicio condemnas, quod tibi judicandum sumis? aut quid judicaturus es rem condemnatam? Parti adversæ cōcede hæc verba: Judex futurus æquabilis esto. Vide cui periculo certitudinem oraculorum tuorum exponas. Impietatis & Sacrilegii rem condemnas, quam fortè sanctam & legitimam sis meritò declaraturus. Profectò pro Nobis nunquam judicaveris, quin te imposturæ & calumniæ damnes: *O sententiam Necessitate confusam!* Attamen ut prætereamus malevolentiam istam, nec in suspicionem vocemus religionem judicum nuncupatorum; Quicquid integritatis ipsis.

Bulla contradictionē implicat, dum damnat causam, in quam Judices promittit.

ipsis in cæteris largiamur, profectò incompetentes fuerint, quoad primam Instantiam, quia Leo X. concessit vel potius confirmavit hoc Jus nostris Ducibus, ut nequeant conveniri in causis matrimonialibus coràm aliis quàm suis ordinariis Judicibus. Bulla objiciet Evocationem ipso Duce petente à Papa factam: Sed facilè respondetur, Ducem non petiisse in divortium, quod nunc agitur cum aliis causis in Censura recensitis, de quibus nec contestatio facta, nec litigantes auditi, imò nec citati fuerunt. Quicquid sit, Instantia ista nunquam fuerit facta, nisi precibus privatis & accommodatis ad revocationem; idq; sub ea conditione, ut sua Sanctitas Judices in cognitionem ipsius causæ & quæ accesserunt, promtè constitueret. Incompetentia Papæ.

Quod cùm simpliciter recusaret, Justitiam manifestò constringens, rem oblatæ conditionis non potuit inire, nisi conditionem adimpleret; sicuti nec rejicere, nisi restituat offerenti obligationem oblatæ. Neq; attendenda responsio, Derogationem generalem privilegio Leonino derogare: Nam præterquam quod secundum Jus commune indultis non derogetur, cum hoc amplius sit, videlicet remuneratorium ob pietatem & religionem Principum, tum ob merita in Sedem Sanctam, nullo modo Revocationi suberit, concordati vim obtinens, ex doctrina omnium Utriusq; Juris Doctorum. Abrogentur sanè Leges antiquæ, Clavium Potestas *in destructionem* non *in ædificationem* contra Oraculum divi Pauli Apostoli valeat, Sacri Canones retundantur, Nova si queat Ecclesia stabiliatur, quæ Duces Lotharingiæ gratiarũ exortes velit: manebunt ipsis nihilominus gloriosorum Operum à Sanctâ Sede præmia, quæ Ecclesia zelo deberi tum fassa est: Indultis & Concessionibus remuneratoriis non derogatur, nec revocantur.

 Et ut

Et ut ſine macula Ingratitudinis ea differri religio erat, ſic hodie recipi, injuſtitia. Ecquid animi ſanctis illis Pontificibus putetis, ſi, in confuſum hoc intentis oculis ſæculum, aſpiciant principem prærogativis benignè & merito exuberantibus exutum: exutum inquam non niſi ob labores eosdem, qui Maioribus in meritum ceſſerunt. Neq; neceſſum haberem alia Nullitatis argumenta conferre, quia incompetentia Judicis cauſam habet irrefragabilem: Attamen vt promiſſis ſtem, multitudinem falſorum, quibus Nulla, abuſiva & iniqua, *etiam in vtroq; foro*, redditur, leviter percurram, ad ordinem examinis nullum adactus, niſi quem confuſa Bulla dedit, vtpote nec temporis continui tenax nec connexarum rerum, ut mendacia intricatiora, ex naturâ falſi confuſè ruentis ſibiq; contrarii, difficilius explicentur, quàm refutentur.

Dux offendit Papam, dum Ecclesiæ inſervit.

Mendaciũ ſibiipſi contrariũ.

Principio, ſi quis Curiæ noſtræ Acta non aliunde quàm ex Bullâ peſſimis & falſiſſimis ſuggeſtionibus ſubnixâ norit, nunquid animum inducet, poſtquàm Dux aliquàm multos annos cum Duciſſâ Nicolaâ in fide conjugali perſtiterit, ſubito & præter cauſam, ex mente obfirmatâ abdicatam, thoro tectoq; aliâ perinde inducta exegerit. Quis vero neſcit, primum momentum Coniugii nuncupati, fuiſſe itidem divortii, ſi divortium poteſt vbi coniugium nunquam fuit? Omnes domeſtici vno ore teſtabuntur, nunquam contrariorum elementorũ impetus tantas turbas & fragores concitâſſe in rerũ natura, quàm cõiunctio illa infauſta animorum diſcordantium, adeoq; ſi fas eſt dicere, eſſentiâ diſcrepantium mentes afflixerit & torſerit. Vitam quidem in perpetua animorum fuga, eâq; mutua agebant, ſed nemo cum Bulla dicet, ſeparationem potius à Duce cœpiſſe, quàm à do-

Falſum in Bulla.

à dominâ Illustrissima. Ipsa Ducem, advocatis hostibus, Dominio exegit: Ipsa sponte in illorum partes cōcessit: Ipsa, vt verbo rem omnem complectar, secessit & semet repudiavit, sæpissimè, neq; reputare eum neque expetere Maritū profata, liberè sibi aliunde prospiceret, res sibi suas & amores haberet. Sanctitatem suam veritas tanta latere non potest, nisi memoriâ exciderint, quos cum Procuratore Ducis contulit sermones: non ignorat præterea, quibus de causis domina Nicolàa passa est, se in Galliam abduci ibiq; teneri, tum etiam quàm propensâ in concordiam conscientia vxor id iter ingredi potuerit. Qua fide igitur à Duce vnquam deserta dicetur, quod sensus Bullæ persuasum vult, aut *ausu temerario* ad aliud matrimonium transierit, cùm diu & maturè, adhibitis in consilium maximis nostri seculi Theologis, quorum aliqui etiamnum vitâ fruuntur, alii opinione sanctitatis apud Transalpinos haud facilè inueniendæ decesserunt, deliberaverit. Alterum Falsum.

Non possum silentio præterire, quendam eorum lecto emortuali affixum, quo cōscientiam suam confirmaret in cōsilio huius negotii Duci suggesto, iussisse sibi adferri codicillos, relegisse, diligenterque dispexisse, quasi eius rationem coram Deo propediem redditurum; adeò iustum, atq; adeò conforme vniuersæ doctrinæ orthodoxæ invenisse, vt iterum laudarit; novoque calculo, nullius suspectæ fidei erga partes arguendus, misericordiæ Dei duntaxat egenus, ratum habuerit: quo is modo testatum voluit, abundè suæ cautum esse conscientiæ, quicquid fecerit, dixerit aut scripserit eius negotii gratia: sic finem vitæ facturus. Testimonium Clerici cuiusdā morientis in favorem Ducis.

Si quis vero Duci, quod ab Ecclesia matrimonii prioris dissolutionem legitimam non expectarit, carpat

institu-

inſtitutum; ſciat, prægnantibus de cauſis, quæ politiam & conſcientiam tangunt, id factum: imò non potuiſſe momenta temporum & negotiorum obſervari, ita vt ſolemnia non neceſſaria in aliud tempus citra Eccleſiæ contemtum non ſponte reiecerit, cuius judicio profitetur ſe perpetim ac planè ſtaturum, probavitq; eousq; reverentiam, donec Eccleſia calculum addidiſſet, ſilentio.

Probatio proceſſus in cauſa matrimoniali Ducis. Vt ut ſit, factum probârunt ſigillis appenſis viri Eccleſiaſtici, iiq; Sacrorum cauſâ Ducibus præpoſiti, conſilio aliquorum & vitâ & doctrinâ inculpatorum ante expetito. Id cùm coram Deo nihil egeat demonſtratione, facillimè oculis humanis, iis minimùm, qui affectib᷒ liberi ſincerè iudicaverint, probatũ fecerimus.

Aliud Falſum enorme in Bulla. Dum falſum falſum trudit poſtulatum, occurrit omnium abſurdiſſimum, quod cardinem tragicæ huius Excommunicationis faciunt: Ducem, aiunt, feciſſe ſeparationem non canonicam, reſcripto Papæ minus obſequentem; ubi Falſum manifeſtò geminatur. Neq; enim Sanctitas ſua ſeparationẽ Duci unquam iniunxit canonicam, neq; Dux deſiit ſatisfacere ſecundum ſingula, omnem rigorem canonum excedentibus, quibus ipſe ſe adſtrinxerat. Enimverò, tanti non fuerit Juriſconſulti, Separationis tres ſpecies inter maritum & uxorem ſcire: vna eſt thori, altera bonorum, tertia utriuſq;. Prima eſt ſuſpenſio ad tempus, aut diſſolutio copulæ Carnalis, quæ duo corpora vnum efficit, perpetua. Suſpenſio adhibetur, dum de Matrimonii diſceptatur veritate: Diſſolutio, ubi in pœnam atrocis alicuius criminis, aut ex conſenſu mutuò partium, perpetua iniungitur ſeparatio. Altera, Bonorum ſcilicet ſeparatio tollit Communionem, contractu aut ſtatuto ſancitam.

Separatio Canonica.

Tertia

Tertia utrumq; complectitur. Prima illa ex præscripto regularum Canonici Juris Canonica vocatur, quemadmodum alteram ex dispositione Legum Civilium Civilem dixeris. Hæc bona alterutrius conservare nititur: illa hominum oculos & mentes satiare, ne vel lite de Matrimonio pendente aut ante Ecclesiæ decisionem, partibus, quæ contra Leges facta judicari possent, videantur permissa. Hinc consequitur omninò, Inhibitionem istiusmodi sequi naturam dubii, id est, si Matrimonium sit dubium *in utroq; Foro*, separationem procedere in utroq;. Quod si res tractetur solummodò ad tribunal extremum Ecclesiæ, ubi sine errore voluntario, certitudine morali Partes sibi constant in conscientia; crudelissimi foret tyranni, Eos torquere, & in periculum manifestum Innocentiæ conjicere occultè, sublatis quæ legitimè negari nequeũt officiis. Paucis dicam, cum constet, Ecclesię nullũ jus nisi in Externa competere, occulta non scrutabitur: siquidem extra dubium habetur, potestatem judicandi & inquirendi iisdem finibus terminari. Ecclesia non judicat de occultis.

Quod in eum finem dictum nolo, qui Ducis separationem tàm diu & tàm sanctè, etiam ultra Jus suum continuatam, approbem; sed ut ostendam, in quantum Dux omnibus officiis abundanter expletis obedientiâ severitatem Legum Ecclesiasticarum excesserit. Quis non astruat ex hoc fundamento, omissâ jam distinctione superiori, separationem verè & exactè canonicam non ultra thorum, & ut rigidissimè agas, non ultra convictum extendi? Nemo negârit, si quis Matrimonii vinculis constrictus ad Clerum transeat, separatione exactiori teneri, quàm qui nullo voto, aut alio modo, solo decoro ad tempus alligantur. Quousq; se extendat rigor separationis Romanẽsis.

Videmus tamen exemplis compluribus, quantacunq; tandem puritate Ecclesia primæva fuerit tenella & scrupulosa, nunquam offensâ aut scandalo læsam, si aliquando Clericus, maritatus in Clerum adscitus, uxori porrò cohabitaret: eiusdem fidei relinquens, si fraudem voto Cœlibatûs faceret, aut officia coniugalis amoris in amicitiam & conversationem fraternam commutaret. Atque hoc ipso seculo, ubi licentia morum majorem adversariam flagitat, istiusmodi Clericis non negatum est, uxores suas honestè inuisere; quoniam conscientia & fides viri boni probatique est adversaria, quàm quæ sic constitui potest gravissima.

Ecclesia benignitatem in Principes commendat suam.

Quòd si istis regulis gaudeant privati, cur Ecclesia in Principes & personas Illustres fuerit severiori animo, quos prorsus vult versari mollius & moderatius. Poteritne id Sanctitati suæ dari laudi, quæ approbationem separationis à Duce petitam, Archiepiscopo Malinensi & Stravio Apostolico, in Flandria Curiæ Secretario, ob hostiles animos reiectis demandârit; quos falsi postulatos eò provexit temeritas, ut Dominam Illustrissimam Beatricem foràs exigere, iisq; locis circumscribere, ubi vitæ ipsius insidias strui nobis constabat, allaborârint.

Consilia crudelia hostium in Dominam Beatricem.

Omnes istæ Rationes recusatoriæ à Duce productæ, & quicquid in fidem earum offerret, tum & ipsis, tum si qui modò animosius æquitatem huius causæ impugnarent, tantò maiorem Romæ authoritatem conciliârunt. Nunquid verò ipsa sua Sanctitas malâ fide/ istâ fiduciariâ offendetur justissimè; siquidem postremum quod scio, rescriptum cum ordinaret, ex parte Papæ, ut Domina Illustrissima Beatrix Cœnobium severioris disciplinæ, pro lubitu suo aut Archiepiscopi,

Archiepiscopus Malinensis mandata prætergressus.

nulla

nullâ ulteriori determinatione (ut ex contextu Bullæ liquet) ingrederetur; ipse libertatem juribus Hispanicis circumscripsit, idem agens pro tempestate illa temporum, ac si Papa nunc domicilium Bastiliæ Duci imperaret. Certè, quicunq; sibi sumserit jus domicilia Principibus constituendi, hoc maximè tempore, eadem operâ vitæ arripuerit, Libertatis & Dominii arbitrium; quandoquidem verum est, unicum momentum tanti esse, ut asylum & refugium postridie banni & carceris nomen mereatur.

Mandatū impossibile & ridiculū Archiepiscopi Malinensis.

Videris, Domini Ordines, separationem Canonicam Ducibus impositam, cui ipsi Justitia Excommunicationis innititur, quòd videlicet mandatis sanguinariis non sit paritum, hoc est, quòd Papales in vitam cum libertate, (non eandem tyrannidem in minimum de plebe Quiritē facilè ausuri), arbitrium non obtinuerint.

Forma separationis tyrannicæ, quæ & suâ nullitatem infert.

Sed Dux conventa, ad quæ viros graves Papa adhibuit infregisse arguetur. Ad quæ primum repono; Bullam præter omnem veritatem Legatum Ginetti, Nunciumq; in Galliam iis connumerare, qui nunquam negotio interfuerunt, nisi professi, se nihil eius in mandatis particularibus habere à sua Sanctitate, neq; etiam præter fidele consilium & officia quicquam adferre. Si verò, dum Dux Parisiis moram traheret, idem Nuncius Lucernam nominavit, in secessum Dominæ Illustrissimæ Beatricis, separationis tempore; proposuit tantùm suo id animi sensu, cui ea Lege Dux aurem præbuit, modò Illustrissima Domina Nicolaa reciperet & componeret ad judicium Ecclesiæ subeundum; quod se facturam negavit, simulq; omnes istas vias compositionis interrupit: tantum abest, ut ulla compositio successerit, aut Dux, præter calumniam, violatæ possit argui.

Duo Falsa in Bulla.

D 2 Quod

Quod Malinensem & Stravium suprà dictos attinet, paucis habe, quæ animadversione digna cum ipsis intercesserunt. Dux ubi animum induxit, Papæ quacunq; ratione, vel cum dignitatis dispendio atq; authoritatis detrimento satisfacere, amplius dicam, refragante Senatu, maluit uti Legati consilio, qui præ se ferebat, sibi domicilium Dominæ Illustrissimæ Beatricis Coloniam probari, quod propositum summè favebat consiliis coniurati gregis. Vnde Malinensis primarius actor instanter urgere iter, Duci suggerere, minus verè licet, fieri id cum assensu Cardinalis Infantis demortui, à quo utpote gubernatore Belgii honestè & rectè hoc peteretur. Illustrissima Domina Beatrix verbis Prælati istius notæ persuasa, Bersellâ Coloniam, nullo temporis momento neglecto, contendit: progressa triduo in agrum Lucemburgicum, obvium habet cursorem literas à Domino Michaële Salamancano ferentem, quibus Infantis, Regisq; Catholici offensiores animi indicabantur, si Illustrissima Domina Beatrix extra sua dominia, ubi Dux partes regias promoveret, quęreret protegi.

Narratio eorum, quæ cum Malinensi acta fuerint, unde aliud falsum in Bulla elicitur, quoad iter Coloniēse.

Literæ hæ Archiepiscopi sermonibus è diametro oppositæ, cogebant Illustrissimam Dominam Beatricem misso nuncio rem ipsi communicare. Satis tamē obfirmatè, ne dicam impudenter, scripto confirmavit, quæ de voluntate Infantis protulerat, donec convinceretur & Principis illius improbatione & suis literis ad Illustrissimam Dominam Beatricem; rogans ut de Regis & suâ mente, iis Ministris, quàm quibus ea non pateret, fidem haberet maiorem. Quàm promto & soluto animo Illustrissima Domina Beatrix excesserat, regreditur, separationem ante à longo tempore servatam continuatura, cumq; tandem quæ litigia & tricas speculatores illi suscitarent;

Archiepiscopus ab Infante & semetipso arguitur falsi.

Sincera actio Dominæ Beatricis.

tarent. Dux omni prætextu sublato, quin minus ab Illustrissima Domina Beatrice separaretur & thoro, & mensâ, & tecto (quousq; tandem severitas Canonicæ separationis vel inter privatos pertingit) imò & oppidis & provinciis; siquidem Domina Illustrissima Beatrix Bersellæ bihorio Bruxellis distandi habitabat, ipse cum exercitu in Atrebati auxilium pergens Secretarium intimum ad Archiepiscopum ablegat, tabulas actorũ postulans. Ibi bonus ille vir Hercule suo destitutus, Infantem & brachium seculare intellige, ad Carmina Medeæ confugere & dolus prioris vitæ exercitia, elabi, fugere, tergiversari, eo se tegere, quòd Infans videatur Flandriam, Bersellâ Brabantiæ finibus conclusâ, Illustrissimæ Dominæ Beatrici secessum designâsse. Rogatus, an istic quid magis Canonicum, quàm illic inveniretur; primo Responso stetit. Iterum rogatus, si mandatorum Executioni à Papa propositus, in negotio merè Ecclesiastico, Potestatis secularis nutum respiceret, quod ipsum sæpissime & constantissime negârat. Turbat ergò impeditus, ut præter absurda nihil responderet. Alter nolens suo jure penitus uti, sic tandem convenit; exquireretur mens Infantis, qui si Flandriam & Brabantiam eodem loco teneret, Archiepiscopus assentiretur, tabulasq; conficeret separationis rite & canonice factæ. Secundum hanc transactionem Secretarius Gandavum abit ad Infantem, declarationem ad Archiepiscopum impetrat, quâ omnia dominia Fratris sui, Regis scilicet, secessui Illustrissimæ Dominæ Beatricis aperiebantur, pro lubitu semper eandem ubiq; experturæ fidem.

Fucus Archiepiscopi.

Totum hoc consilio Stravii agebatur.

Non possum, Domini Ordines, motus animi ultrâ cohibere. Vulgò ratio initur, quâ piratæ & rapto-

res conveniantur, & fides aliquando apud Religionis Numinisq; expertes reperitur: hîc videas Archiepiscopum, primarium Prælatum Belgii, hominem canonizandum, cuius verba tanquam oracula nostram & tanquam juramenta suam mererentur fidem: Is apertè ridet datam, imò potius Principes satis crassè circumventos; eò impudentiæ elatus, ut Papam dubiæ fidei complicem constituere ausit, secretioribus quasi eius mandatis instructum. Itaq; nihil amplius fingens liberè profitetur, Nolle se nec posse ferre, ut Illustrissima Domina Beatrix domi suæ habitet: tabellasq; jam promissas negat. Et ubi tabulæ negationis postulantur: eas dum non negari contendit, negat. Tandem Legatus Ducis, puerili contradictione constrictũ videns, extremis colluctantem, quo Logica plerunq; ingenia heteroclyta & obstinata compingit, primum articuulum mandatorum arripit, quod iubeatur, coram Notario Apostolico, quem in eum finem comitem adduxerat, protestatus est de iustitiæ inhibitione, tergiversatione & mala fide Archiepiscopi, deq; nullitate, cum appellatione, quæcunq; ipse dicto, facto, scripto ordinaret & in posterum significaret in præiudicium Ducum per Monitoria, Mandata, aut alia procedendi instrumenta.

Fides infida & dictorum negatio in Archiepiscopo.

Contradictio in Archiepiscopo.

Expeditione finita, pridie quàm Dux Bruxellas rediret (ubi Infans eum volebat hyemare, ut ibi negotiis bellicis animum intenderet, & ad Expeditionem futuram quæ opus dispiceret) Malinensis quò animum verè Hispanicum ostenderet, qui fidos Regis dignosceret, testimonium rei evidentissimum in Duce exhibuit. Nam Monitorium valvis templi Bersellensis affixit, quo Illustrissimæ Dominæ Beatrici definiebantur quindecim dies, intra quos Cœnobium arctioris disciplinæ ingre-

Perversitas Archiepiscopi.

ingrederetur,& quidem quod dominii esset Hispanici. Ista appendix de suo assuta cont a mentem & mandata, Suæ Sanctitatis dirimebat iudicia multorum, ut ambigerent, quô Prælatus propenderet, in partes ne Gallicas aut Hispanicas. Nam promulgatione Monitorii in puncto facta, quo redierat Dux, negotium videbatur cum Cardinale Richelio expensum, ad irritandum generosum Principem tàm atroci offensa, tùm cùm meritorum fructum sperare posset. Ex altera parte nemo sibi persuadere poterat quòd Illustrissimam Dominam Beatricem dominiis Hispanicis continere vellet, Ducem à partibus Hispanicis abstrahere cogitaret. Sed omnibus benè expensi, facilè statuebatur, contemtu Ducis & iniustitia contumeliosi mandati in Dominam Illustrissimam Beatricem eo colimasse, ut ille adigeretur ad vindictam, & ista nihil commoveretur. Vnde Dux, ut Sacerdotis insolêtis impetum declinaret, & Infantem importunis istis tricis liberaret: post Protestationes ritè & iuridicè à Domina Illustrissima Beatrice factas (ut & Dux postea fecit contra simile Monitorium Bruxellis promulgatum) Copias suas versus Mosellam duxit, quò in suo quietem & securitatem, quam alibi nequivisset, inveniret. Non itaq; potuit, eo capto consilio, Dominam Illustrissimam Beatricem in Flandria relinquere; quæ excessit simul, salva interim separatione, adeò religiosè observata per totum illud iter militare, ut nihil impediente incommodo aut periculo, cui Copiæ bipartitæ exponebantur, Duces sese unius diei termino consequerentur; quotiescunq; etiam necessitas iisdem Castris concluderet, tectis diversis & quàm fieri poterat maxime dictantibus uterentur. Astruitur hoc testimonio sex mille hominum, literis Cardinalis Infan-

Antiqua Fraus Hollandica.

Infantis, Legati, Domini Salomaneani, Archiepiscopi Malinensis, & tabulis Notariorum Apostolicorum, quos Ministri Suæ Sanctitatis non possunt ignorare, nisi & oculos & aures obstruant, ut hactenus ad omnia, quæ Ducis Procuratores ex mandatis pro defensione Causæ & Processûs exponebant.

Judicate igitur, Domini Ordines, quot Falsitatibus Bulla Ducem arguat, quasi non steterit Tractatibus cum Archiepiscopo Malinensi peractis. Judicate itidem, si severitas omnium Canonum & Legum Ecclesiasticarum exactiorem potuerit præscribere separationem & rigidiorē eâ, quàm Duces observarunt ultra biennium; quousq; viderunt Justitiæ consequendæ spem evanuisse, non obligati æternùm eam ab hominibus exspectare, unde jus congenitum & ductum Conscientiæ secuti sunt. Itaq; consilio magnorum & famosorum Theologorum, redintegrandum censuerunt Coniugium, ut post Protestationes in his necessarias fecerunt, inprimis de animo constanti & perpetuo, in obsequium Ecclesiastici Judicii, quotiescunq; modo justo & convenienti libitum foret, negotium discutere, obfirmato.

Justa causa Reunionis inter Duces.

Longum nimis & tædiosum esset omnes dolos referre, quibus fundamenta huius Excommunicationis sustinentur: sunt tamen, quos silentio præterire mihi religio est, tametsi pari dolore & ignominia in lucem producam cum iis, quorum pluris interesset Sanctæ Sedi suam conservari authoritatem, qui probarunt suam vecordiam, cùm facili Papæ obrepserunt, ut pronuntiaret, quo Hæretici in veritatem Oraculorum oppugnandam armarentur. Damnat ex ipsorum instinctu consulta huius Matrimonii. Hîc locus non est, ut in lucem extrahamus omnia præterita huius negotii; abstrusiora quæ-

Bulla hæreticos armat contra Papam.

dam

dam Judicibus de rei summa cognituris reservantur. Dicam tamen, si consulta, quæ pessima & perniciosa vocitant, paria sunt ei, quod Pater Cheminot Româ retulit, Academiis pluribus publicè approbatum; tantum aberunt ab ignominia & reprobatione, ut ex contrario doctrinam sanctam & ab universa Ecclesia receptam, si ausim dicere, fidei necessariam contineant. Hoc ut verum videatis, sensum eius tantùm exponam. Eadem facit ipsam condemnare doctrinā fidei necessariam.

Pater Cheminottus, cùm Romæ degerit laudatiores sui Ordinis Theologos consuluit de Quæstione sic propositâ: Si Matrimonium vi & metu, qui & in virum constantem cadere potest, contractum, nullum sit, etsi partes plures annos cohabitarint, causâ & effectu illius metus non sublatis. Et, si alteruter superstite altero, alterum Matrimonium forte contrahat, secundum formas & conditiones essentialiter requisitas; antequam tamen prius declaretur nullum, scilicet, si alterum Matrimonium valeat, ut minimum, *in foro interiori*. Quid responsi Iesuitæ consulti, imò tota Societas, imò omnes Scholæ Theologicæ & Academiæ darent, nisi quod Canon disertè in pari facto respondit: Affirmativè quippini, in prioris exinanitionem, & posterioris valorem. Ad ista nihil respondero nisi hoc, quod si & Symbolum Apostolicum eiurent, mihi Apostasiæ vadimonium non ideò obeundum. Si Roma immutavit, ut olim fuit venalis, modo emptorem invenisset, hodie satis possidet, unde & emat & corrumpat universum mundum, atq; inde facile judicatu, qvalem justitiam debeamus exspectare, cùm nec liceat consultis salutaribus uti. Quis verò credat tandem, viros togatos eò processisse vecordiæ, ut suam ipsorum conscientiam, nisi fortè novâ quadam usi æquivocatione, quâ hodie mendacia Consultum Romanum. Tyrannide inauditâ prohibetur consultatio ad salutem.

 politica

politica fucantur, redarguant: aut revocationem nuncupatam asserentes, eò quod nova illa, non authenticis sed exemplaribus, Parisiis in domicilio Illustrissimæ Dominæ Nicolaæ scriptis, quibus datâ operâ defectus quidam orthographici in sigillis & aliis frivolis irrepserant, didicissent, ad amussim literæ à mendacio se liberatos putent. En fucum, qui tantis in rebus locum invenit! Nam ut seriò agatur, nullus unquam Theologus producetur, qui adversam doctrinam suo signo conformet. Atq; illam adversus Bulla nihilominus anathema intonat, ut malitiosissimam ac perniciosam rejiciens. Liquet hoc, omni Catholico penitus tenendum, Papam non benè informatum neq; de Propositione neq; de Sententia istius Consulti: alioqui cogeremur, hostibus Ecclesiæ inde triumphaturis dare, quòd Papa, quâ Papa, & Iuris & Facti erroribus præpediri queat. Absit à mea mente hoc cogitatū, aut hæc persuasio, ullum summum Pontificem Ius Pontificium abrogasse, aut Leges veteres Ecclesiæ, novarum amore, antiquasse, colore in nostram condemnationem quæsito. Desiit Roma Imperatoribus subesse, quorum tyrannis perversas actiones tanquam Leges sancire satagebat. Sed Hæreticis aliud os est, qui Suæ Sanctitatis adversus hanc doctrinam pronuntiatum, erroris & impietatis, scienter atq; haud dolosè damnari cōtendent. Cui id mali subest, quòd Transalpinorum nemo ausit ire contra Bullæ testimonium.

Bulla Papam errare facit & in Jure & in Facto.

In has augustias Sanctæ Sedis authoritas se hodie redactam videt præcipiti ambitione istorum homuncionum, qui de affectuum usufructu Matris honore paciscuntur: eius potestate adeò liberè usuri, ut facile passuri sint, nomen eius sine re ad Successores transmitti, secumq; Spiritûs Sancti indubitatum Numē intermori.

Papalium nihil interest, si Ecclesia post ipsos pereat.

Verum

Verùm enimverò respondeant fortè, se nō sententiam, sed propositionem, tanquam casum fictum & suppositum, cuius circumstantiæ non congruant Matrimonio Ducum, damnare. At idipsum quæritur: id nos probandum sumpsimus in id Iudices expetimus. Quid verò Juris habet Papa interea temporis ad damnationem, sine cognitione causæ præiudicans, vel eo solo facto recusandus, ad judicandum inhabilis postmodum, uti superius demonstravi?

Plura dicam: ipsa verba Bullæ invitis suis authoribus necessariò inferunt, problema Romæ propositum eundem esse Matrimonii istius casum ac proinde validum atq; legitimum. Nam si verum sit, quod Bulla ait, consultationem Romanensem in alium finem non quæsitam, nisi ut authoritatem huic eidem conciliaret, quæ Ducē ad id Matrimonium permovit; Oportet omninò de eodem casu concinnatum fuisse: Alioqui nihil magis ridiculum foret, quàm in rem fictam, cōsultatione inita, actionē diversam asseverare, aut conscientiæ cōsulentis satisfacere. Eadem ratione problema primæ & secundæ consultationis & ipsissimum Ducis Matrimonium; sin minus, absurdissimè dicetur, ea Ducem permotum. Vnde utraq; consultatio justa & sancta est habenda, quoniam sententia eius doctrinam universæ Ecclesiæ receptam, cum terminis facti indubitati, qui in Matrimonium Ducis penitus concurrunt, continet. Verum itaque est, quòd Bulla validitatem eius agnoscat invito authore, & quòd consilia in id expetita non fuerint extorta, aut fraude aut calliditate, sed ex ratione, etiam ex conscientiæ stimulo & charitatis Christianæ officio: videlicet ad animam in eo consilio, à quo sine impietate discedere nequit Ipse, neque ab aliis diverti potest,

Consequētia necessaria ex terminis Bullæ desumta pro valore Matrimonii Ducum.

Aliud Falsum Bullæ.

confirmandum quæſita. Prorſus cœcum eſt odium Cenſorum, qui pro nobis iudicant, dum damnationis ſententiam conficere laborant. Atq; ſatis difficulter perſuadebitur, Gallum veteranum, Patrem Cheminottum, potuiſſe tot Doctoribus, Italis, Romanenſibus, & quod ſummum eſt, Ieſuitis, oculos aperire. Quod ut ſit, nihil minus abſurdum, quàm Miniſtri culpam excommunicatione Domini expiare. Sic tandem autem noſtrorum Cenſorum contra nos allegata aut ſunt falſa aut ridicula, vel utraq; ſimul; vero, ſiquid imprudentibus excidat, pro nobis faciente.

Cauſa ridicula Excommunicationis.

Aliud Falſum valdè palpabile in Bulla.

Fortè mirabimini, Domini Ordines, homines ingeniis, quod ſibi arrogant, ſolis perſpicacibus in rerum univerſitate, ſic turpiter in hoc negotio cæcutire. Vt admiratione hac liberemini, convertite oculos in impudentiam, qua omnes, qui in Dominio Ducis ſuperant homines inducere voluerunt, adverſarii Ducem etiam interpoſito iureiurando ſubditos adegiſſe, ut uxorem Beatricem Dominam agnoſcerent. Actus hic nimis ſolemnis eſt, qui à vobis, Domini Ordines, ignoretur, primis ad gubernacula Reipublicæ. Potuitne Actus eiuſmodi publicus, oculis mortalium, maximè eorum, qui eum conſtituunt, ſubduci? Nam audacter proloquor, nulli unquam mortalium jusiurandum hoc inſtar fabulæ confictum, eſſe auditum, præterquam ex Bulla. Verum quidem eſt, nullum virum honeſtum, cui de conſcientia & Religione Ducis conſtet, unquam addubitaturum, quam ipſe uxorū loco habuerit, eandem Dominam cenſere: maiori momento in candorem tanti Principis, quàm in cenſuram Papalium repoſito. Quamobrem plurimi & honeſtate & ordine inſignes, ad Dominam Beatricem ſermonibus ad cultum com-

poſitis

positis per Lotharingiam, & ubicunq; animis ac verbis libertimis, ex propensione magis quàm p lpo, licet uti accesserunt. Etiam qui ex subditis defuerunt officio, nihil inde minus gratiâ Ducis scclusi, homagium non vultûs aut oris, sed cordis postulari viderunt: tametsi potiori id jure poterat à subditis postulare, quàm Papa prohibere, sed ausu hoc in finem huius sermonis reiecto, pergam quod institui, Nullitatem huius Excommunicationis evincere.

Tametsi omnia supposita, quæ manifesti falsi coargui, tantundem veri quantum calumniæ haberent, non possem utiq; sententiam Juris conficere, nisi ex Jure deducerentur. Videamus igitur, qua via demonstrationis in notitiam Judicis pervenerint: Anne referente Archiepiscopo Malinensi & Stravio, quos ut inimicos recusavimus, quos falsi coarguemus, appellationibus & protestationibus ritè conceptis? Seponamus hæc opprobria. Quomodo hæc nisi ex testibus resciverunt! an nomina ipsorum audivimus? an effata sunt relata? quis iurisiurandi arctavit religione? quis produxit? quis admisit, aut rejecit? An unquam Dux fando rescivit informationem, processum, aut testes, nisi à quodam Aucourtio, cui, quantumlibet sæpè profiteretur, se nihil compertum habere eius quod interrogaretur, Malinensis mendacia vi extorquere voluit: tum & à quodam nebulone coquo, ut Romæ testaretur, quæ id temporis in Lotharingia fierent, aut fieri posse somniabantur, corrupto; ut Lotharingo, vel saltem nomen id ferente producto, color formæ judicio satis conciliatus videretur.

Relationibus Archiepiscopi & Stravii non credendum

Defectus Formarum essentialiũ

Archiepiscopus Malinensis testem vult cogere.

Testis alius Romæ corruptus.

Quæro ulterius, quo petente hæc facta? cùm ante promulgationem Bullæ Illustrissima Domina Nicolaa nullum signum accusatorii animi ediderit, ipseq; Papa,

Alius defectus Formalium essentialium.

se ex officio, non ex Dominæ Nicolaæ petitione actionem instituisse, professus sit. Difficulter sanè credetur, scandalo in universum Christianum orbem, actionibus quæ mentem verbis contrariam arguant, propalato, Ipsam tam serò famæ & saluti Ducis, quod Bulla persuadere satagit, consultum ire. Verbo dicam, & totum dixero; Dux neq; auditus fuit, neq; citatus; tantumq; abest ut admonitus fuerit respondere ad superiora, tàm quæ Separationem, quàm quæ alias causas Censuræ attinent, ut nec fallaciarum, nec astutiarum quicquam sit omissum, quô viæ omnes ad Suam Sanctitatem de veritate rei informandum, literis etiam ad Procuratores, & illorum ad Ducem interceptis, præcluderentur.

Dux neq; auditus, neque citatus fuit.

Astus hostiû Ducis.

Quidam, Jure Gentium violato, licet dignitate Ecclesiasticâ eminens, ut criminis reus, quòd zelum & fidem in Dominum testaretur, habitus est: quidam alius, Religione calcatâ, ad gratiam inimicorum, & contra mandata mentemq; Ducis egit, adeò ut revocatus ad rationem muneris reddendam, prævaricationem prodiderit, nunquam reversurus: Vbi Cardinalis Barbarinus turpè non duxit, eidem & munus & præsidium in Dominiis Papæ offerre.

Jus gentiû violatum in Ministro Ducis.

Subornatus alius Ducis.

Quid verò? anne ultra tenebimur, judices pati corruptores Ministrorum nostrorum, & qui proditoribus nostris præmia constituant? Hic modus judicandi, partibus non auditis, in memoriam revocat Elogium Claudii Imperatoris exequiale:

Præmiis & pœnis omnes ministri Ducis ad proditionē compelluntur.

Deflete Virum, quo non alius
Potuit citius discere causas,
Unâ tantùm parte auditâ,

Sæpè

Sæpè & neutrâ. Quis nunc Judex
Toto lites audiet anno?
Tibi jam cedet sede relictâ,
Qui dat populo Jura silenti.

Neq; enim vero fit simile, istiusmodi Judices ullam in cœlo Jurisdictionem præsumtùros maiorem, quàm animam istius Imperatoris; quæ ut historia refert, à Consistorio Deorum petiit consortium; reiecta, quòd partibus non auditis pronuntiâsset: *hoc fieri solet in cælo? non fit.* Hic modus Iustitiam enervandi, & formâ privandi, cum Divinitate non consistit, *Principes pietate & justitia Dii fiunt.*

Quin etiam, parum istius Excusationi profuisset summum Ius, quo defectus Iuris & Facti atque formarum essentialium explesset. Nulli enim in terris Potestati id datum, estq; maior Iniustitia, reum inauditâ causâ, quàm innocuum formâ servatâ damnare. Nam ordinem & vim hanc sibi Deus, cordium scrutator licet, impofuit, ut neminem ante audita argumenta defensionis condemnet. Itaq; Iustitiam suam exhibere voluit Iudicio universali & singulari constituto, ut singula momenta formarum strictè serventur, *ut justificetur in sermonib. suis, & vincat cùm judicarit.* Hoc Iustitia divina semper in usu habuit, tum quoad tribunal animarum, ubi præmia & pœnæ æternæ factorum constituuntur: tum & terreni judicii processum, quantocunq; Deo luberet Iudicem agere: qui neq; prævaricationem Adami, neque fratricidium Caïni, nisi coràm convictorum damnârit: neq; inobedientiam Saulis, neq; homicidium Davidis, nisi per Prophetas legatos, aut confessum crimen, aut purgatum reciperet. Multò minus homines, à Deo

Deus hanc legem sibi præscripsit, ut non damnaret inauditos.

à Deo judicandi poteſtatem adepti, maiorem aut ampliorem, quàm Ipſe ſubiit in legem hanc libertatem ſibi ſumpſerint. Sic non poteſt ſubveniri formis ſubſtantialibus Citationis & Reſponſionis, niſi Jure Divino violato, quod Deus & ſuo ipſius exemplo, & ſtatutis in ſacro codice repetitis, ubi Judicibus ex cura ſingulari iniungit, ut audiant, ut videant, ut attentè examinent, ſæpius ſanxit.

Regula Juris divini: Audire partes.

Juris Naturalis.

Sed nec opus erat, Deum verbis ſuam hac de re aperire mentem, quia diſertiſſimè loquentem Naturam fecerat, cùm nomen Juſtitiæ nequeat comprehendi, ſaltem ut ab hominibus illa adminiſtratur, niſi auditionem alterius partis ſubintelligas. Nam ut pronuntietur de re non ficta, quò eſſentia eius & cognitio eruatur, Judices naturali Jure tenentur per omnia veſtigia ad verum quàm maximè penetrare. Sed ut tantùm de ea parte Juſtitiæ, quæ vitæ actiones explorat, agamus (quoniam id ſolum in hac cauſa agitur) duo requiruntur, Factum ipſum & Circumſtantiæ. Prius nonniſi teſtibus fide dignis indagatur (nam privata cognitio non ſufficit, ut poſthac demonſtrabo) qui ſint viri laudati, odii in patriam aut commodi minimè ſuſpecti: cùm natura enim foret bellum gerere, vitæ & Fortunarum omnium arbitrium in manus eorum conſignare, qui deſiderio mortis & infamiæ alienæ flagrent. Alterum ergo hinc venit Judicium de Teſtium meritis: ſed ne ad infinitum excedamus, Jus Naturale integritatem illorum ſibi perſuadet, modò ſint ipſi extra opprobrii maculam; quod duobus modis evenire poteſt, quando reus nullam aſpergit, aut in demonſtratione hæret: quorum neutrum à Judice ulla ſorte cognoſci poteſt, niſi partos, quarum eſt aut objicere opprobrium aut pati, audierit. Præterea, cùm ipſa

Eſſentia Sententiæ Juridicæ.

Principalis teſtis actionis eſt author eius.

ipsa Natura se æquiorem præbeat reo, & Judex possit absolvere secundum duorum aut trium; quid impediat, reum recipi ad defensionem in easdem leges? recipi verò & non audiri?

In Testimoniis æqualibus Excusatio vincit.

Altera Quæstio habet Circumstantias Facti, de quo agitur, id est, ut Iudex non solùm cognoscat de Facto admisso, sed & Facti laude aut vitio; adeò ut & criminis gradu notato, pœnam convenientem irroget. Quam ad rem opus est omninò, inquiri in Causas, quæ impulerint, & mentem rei; inde maximè audiendi: attamen his ita intellectis, ut ne is sponte jure suo hoc nolit uti, vadimoniumq; deserat, ubi silentium in consensum, & fuga in crimen agnitum trahitur.

Vitium actionis non potest cognosci, nisi author audiatur.

Potuissem ratione hac in re perspicua & non controversa supersedere, uno Suarezii testimonio acquiescens, è numero licet & professione eorum, quos citra iniuriam parasitos Papæ liberè dixeris, asseverantis, vitium citationis non suppleri, proinde nec finem, qui est auditio partium.

Sed cum homines occurrant sensus communis exortes, qui Papis & Principibus in suis cuiq; finibus, ex notitia privata, judicium largiantur, operæ pretium duxi, eos argumento solidiori & ex penetralibus Naturæ mutuato confutare; qui ipsi abundè produnt, Principum præter ordinem Executiones non esse justitiam jure & notitiâ manifestâ nixam, sed juxta potestatem supremam, intra penetralia plerunq; Principis decretam, sigillo conscientiæ eius firmatam.

Secretiora non sunt juridica tametsi justa.

Quamvis enim Iustitia cum suprema potestate inseparabili nexu cohæreat, tamen operibus vel in ipso Numine valde differunt. Regula supremæ Potestatis propriè est voluntas Principis: Iustitiæ verò, Ratio. Illa

Distinctio Justitiæ & Potestatis supremæ.

exequitur, hæc cognoſcit: Illa dat, hæc reddit: Illa novas leges condere poteſt, hæc receptis debet ſtare. Et ut breviter dicam; Si Princeps in Dominum agit ut anima corpus informat, ſuprema Poteſtas & Juſtitia illîc operantur, quod Ratio & Voluntas iſtîc: egregiâque comparatione utriuſq; factâ videmus, motus ſupremæ Poteſtatis in Principe & Voluntatis in anima mandati nomine communiter cenſeri; illos Rationis & Iuſtitiæ, Iudicii.

Quibus omnibus duo adiecero, in hoc negotio, privatam Papæ notitiam locum non habere, quod inde ex palatio divi Petri nequiverit aſpicere & cognoſcere ſuis ſenſibus, quid in Flandriâ, Galliâ & Lotharingiâ agеretur: niſi quis revelationem aliquam alleget, in hoc negotio & tempore explodendam. Neq; enim Bulla alio fundamento ſtat, quàm illo, *audivimus*; omni ita privatâ notitiâ, quæ indubitata eſſe debet, ſecluſâ. Aut dicendum, veritatem illius ſuæ auditionis ex relatione eorum cõſtare, quos jam convicimus falſi, aut ad convincendum nos obtulimus, quiq; quicquid ſit, nihil niſi ab aliis itidem auditum, ſcire poſſunt.

Ex his & quæ ſequentur, facili coniectura quilibet aſſequetur, finem fulminationis longè dictare ab eo, quem nomine Sancti Patris divulgarunt, nempe Officium muneris paſtoritii & ſalutem animarum errantium. Verba hæc mellita aculeum mortiferum tegunt: Vipera hæc roſis obvoluta præbetur. Mundus intimus diſpar eſt extimo: in theatro alius, alius poſt ſcenam. Non hodie incipiunt Romani Præſules hanc vitam fabulam exiſtimare, ubi Sapiens Mundi aliud ſit quàm videatur. Seculum hoc miſerum vidit gratias indulgeri in ſucceſſum Catholicorum armorum,

Falſus Bullæ prætextus.

Axiomata Italica.

rum, quo tempore Patrimonium divi Petri ſecretò Jubebatur Eccleſiæ ærarium, quod Stipendiis Suecicis exhauriebatur, augere.

Magolotti nuncii in Hiſpaniam hiſtoria poſthuma aliquando omnia hæc myſteria luci dabit. Legatos vidimus, qui modos paci communi quærerent, dum Miniſtri alii ſecretioris fidei ſemina belli, rebellionis, & diſcordiæ Principum Chriſtianorum foverent.

Eædem artes, idem genius conantur hodie zelum boni paſtoris & amorem boni parentis, ut commodius feriamur & crudelius, perſuadere. Bonus paſtor petitionem judicum prævertiſſet, eos imperaſſet invitis, ut cauſa, ipſius judicio non minus pœnitentiam publicam quàm pacem animorum contingens, definiretur. Bonus paſtor Illuſtriſſimam Dominam Nicolaam juſſiſſet aut ad eum redire, quem ipſe maritum cenſeret, aut ſaltem judicio Eccleſiæ ſecuturo ſe ſubmittere. Bonus paſtor adverſæ parti ſuſpenſionem cauſæ cum ſummo periculo damnationis coniunctam non condixiſſet: Bonus paſtor aurem præbuiſſet tam ardentibus Ducis precibus, quibus Iudices in cognitionem Matrimonii, & in ſeparationem darentur, petebat. Repulſa adeò juſtæ petitionis omnem animum judicandi evidenter tollit, cùm veriſimile non fiat, Iudices exactiores, ſeveriores & perſpicaciores in acceſſoria Cauſæ, quàm in Cauſam quæſitos. Neq; enim modus ſeparationis verè tyrannicus, libertati partiũ inſidias ſtruens, aliud quàm abſolutam diſſolutionẽ ſecundi Matrimonii & impedimentum primi, quocunq; eventu Cauſæ, nos volebat. Bonus paſtor Viennam Auſtriæ non miſiſſet codicillos huius ſententiæ fulminatoriæ nondum promulgatæ, ut authoris eius affectuum ſuorum fœtum

Papæ proceſſus contra Ducem Officio patris & paſtoris contrariat.

Conſilium inimicorum de Matrimonio Ducis.

agnoſcerent, & clauſulas omnes contra famam ac authoritatem Ducis excogitatas articulatim legerent. Summa, bonus pater filii inimicos in conſilium non adhibuiſſet, quo tempore aut modo, quibus illi perniciem properant, corrigeret filium.

En verò ſcopum unicum hoſtium, quorum alii ambitione regnandi incitantur, alii magis occultè machinantur Regiæ domûs diſtractæ interitum: utriq; in perſona Ducis matrimonium exoſi & ſobolem, quòd ſpem illorum retardent, & rabiem iſtorum cōſtringant, qui radices Dominii huius renaſcentis præciſas vellent, ſimulq; cum unico reſtauratore, qui præmia laborum hæres acciperet, exareſcere.

Sunt & ingenia imbecilliora, quibus fortuna Illuſtriſſimæ Dominæ Beatricis & perſona eius odio eſt. Deniq; effectus omnium affectuum, omnium machinationum, omnium aſtutiarum iſtarum in Excommnnicatione ad animam & conſilia Ducis præpedienda patet, qvi dum iniuſtâ occupatione Dominii ab una parte conflictatur, ab altera diris, quas Iobi uxor canebat: *Benedic Domino & morere*, non abſimilibus, ad extrema, ſi queat, redigitur.

Excommunicationē non eſſe timendam.

Sed non convenit, Domini Ordines, vos hoc tonitru percelli: nolite metuere aut cœli ignes, aut fulmen veri Iovis, Pontificis Maximi ſcilicet. Salmonei ſunt illi alteri, per plateas turbulenti, terroris artifices & metus in plebem. Novi ego, quid iuſtis Excommunicationibus ſit deferendum; ſed ubi hoc pompoſum Nomen Maieſtatisq; plenum murmuri iracundia & iniuſtitia hominum concitato tribuitur, contumelia fuerit, venerari; vecordia, metuere. Opprobrium in contemptoribus non ſubſidit, ſed qui contemtui exponunt, &

quod

quod plus est, reverentia præpostera approbant, *ea demum justissima sunt fulmina, quæ etiam perculsi colunt.*

Maiores nostri viderunt Godofredum Bullioneum; Patres Carolum V. & Philippum II. eius Filium, excommunicatione, ex æquioribus coloribus minusq; iniustis tactos: quæ fulmina & tempestates Cœlum in plura & maiora beneficia convertit, quàm unquam prius. Audivimus nos murmur earum intra Venetias, Parmam, Mediolanum, & intra Florentiam minas aliquas: sed scimus itidem fortiter repulsas. Confido ego, Domini Ordines, Vos in causa maioris momenti & æquitatis, non minorem fortitudinem pro defensione Principis, Patriæ & Vestræ Authoritatis exerturos: In Causa inquam æquiore: nam quis nostrum ambiget, qui pietatem, mansuetudinem & religionem Principis scimus? quis negabit, eum vinculo integro, necessitate conscientiæ, casu Religionis in tot infortuniis, obstaculis & persecutionibus firmari. A' variis exemplis & causis justitiæ.

Secundum hoc iustæ suæ Causæ argumentum, non nisi ab inimicis disceptationi supponendum, & aliud invenio fortissimum certe & solidissimum, in solatium & animi inconcussi obfirmationem. Nam cum videam, à Persecutoribus stare, ambitionem, invidiam, odia, sublestam fidem, humana commoda, fraudes, cuniculos, consilia sanguinea, summa: Stravios, Archiepiscopos Malinenses & Barbarinos, certum habeo, Numen abesse, cumq; id nequeat esse dubium, nostras sequi partes.

Hâc fiduciâ Dn: Ordines, & argumentis fretus, quibus nullitates Sententiæ nuncupatæ demonstravi: Nullam, propter Iudicem non competentem, ex Indulto Leonis X. Nullam, propter præiudicia & malevo-

lentiam recusati judicis: Nullam, propter falsa, quibus is permotus est: Nullam, propter defectum Iuris & Facti, formarumq; substantialium, Concludo ego: *Quod Curia ex justitia administrata petioni D. Procuratoris Generalis annuens, dicit & declarabit, dictam Excommunicationem nullam, subreptitiam & violentam; vetabit ne quis vasallus & subditus Ducis, Laicus & Ecclesiasticus, secularis & regularis, & tandem in universum cuiuscunq; sit ordinis aut conditionis, eam habeat, legat, aut legi audiat, vendat, affigat, publicet aut distribuat, sive authenticam sive secundariam, typis calamove scriptam: Itidem, ne quis veneretur ullo modo, sed ut reiiciat & detestetur, tanquam Scriptum calumniis plenum, iniustum & perniciosum Reip., sub pœna criminis læsæ Maiestatis in supremo capite: Et contra inobedientes, & si qui quamcunque operam in procurationem & dictæ Bullæ publicationem contulerunt, judicii ex rigore Iustitiæ, tum senetentiâ definitivâ, tum executione eius inclusivè experiundi. Pariter postulans, ut prohibeantur sub iisdem pœnis commemoratis omnes vasalli & subditi, ad Sanctam Sedem sibi prospicere, de obtinendis ullis beneficiis, aut in eam rem argento mittendo, sive numerato sive numerando, aut aliis quibuscunque medius; ut & de fructibus beneficiorum possessis in Dominio Ducis à personis Papæ dominia incolentibus: quousque Sua Sanctitas aut Successores ritè providerint super reparatione Injuriæ Ducibus dicta Excommunicatione illatæ. Sic Curia Iustitiam coluerit.*

Jam accedo ad defensionem Causæ nostræ Reip: & ad litem omnibus Principibus nobiscum communem, qua obligamini Domini Ordines, non tantùm

valida

validâ obstacula objicere sed & arma plusquam defensiva induere: quoniam Tyrannis omnium vitiorum extremum nullis potest nisi iisdem justissimis armis oppugnari. Bulla prohibet Illustrissimæ Dominæ Beatrici titulum Ducissæ Lotharingicæ. Nihil hîc est explicandum, plana sunt omnia. Qui de titulo sibi audet judicium sumere, idem audebit in possessionem & proprietatem rei. Si hoc propositum sustineatis, quem Dominum habebitis, Ducem ne an Papam? Quid expectatis Roma post tam superciliosum mandatum, nisi & alterum in personam Ducis? Nolite dicere, Uxoris sortem necessariò cohærere nomini Ducissæ: hoc prohibetur, ut prius tollatur. Nam si hæc mens fuisset authoris bullatici, satis habuisset Uxorem nominasse, Ducissæ nomine prætcrito: id quod tamen neutrius subordinatione fecit. Gui bono inserere Clausulam probrosam nullius momenti? Tum si hîc tantum de nominê Uxoris ageretur, quæ hæc iniustitia, parti litiganti imperare, ut destituat qualitatem controversam, & prætensionibus in rem disceptandam cedat? Cùm duo Vasalli de Feudo litigant, Dominus tametsi eius multum intersit, partibus tituli usum permittit, juramenti, fidei & homagii præstationem suscipit, eos investit: & suo & alieno iure integro. Quare non idem usu venerit, ubi duæ Matronæ de eodem coniugio litigant? Nihil æquè liberum inter mortales quàm actio prætensionis: cùmq; in simili causa ambages iudicio definitæ sunt, parti victæ vanum Tituli solatium, cùm fructu exciderit, nemo aufert.

Machinatio Papæ in temporale Dominium.

Lite pendente partes titulo uti possunt absq; præjudicio.

Verùm ad possessionem respiciendum fuerit: ea pro nobis facit. Papa aliud judicat: sed quo jure parti-

Possessio debet pro Domina

Illustrissima Beatrice facere. partibus non auditis? quicquid supplementorum Bulla defectibus adferat, quibus & Iustitiam & nos lædit, quicquid notitiæ in facto queat allegare, si Dux vellet constanter asserere, Illustrissimam Dominam Nicolaam sibi nec visam, nec obviam factam: neq; eo nomine damnandus foret inauditus. Sed opinio prior ipsi favet. Ecquid? Qui mores eius nôrunt & vitæ instituta à pluribus annis, refugium ad hostes Ducis, consilia diversarum nuptiarum, voluntatem non revertendi, tam & jussa tam diserta & severa ad domesticos, ut occursum ministrorum Ducis ipsiusq; personæ, maxime in itinere Parisiensi postremo, evitarent: machinationes contra eum & Remp: sciente & consciente Ipsa libellos famosos excusos, & divulgatos ipsius nomine atq; assensu contra honorem Ducis. Quid? poteruntne vinculo illæso, illam uxorem Ducis censere? Credentne, ipsam unquam eo nomine censeri voluisse? Profectò in causa Matrimonii, concedamus titulum, si quæ eum vere desiderat, & possessionem amori atq; coniugali affectui,

Interest Dominæ Nicolaæ, Ducis uxorem non haberi se.

Omnis amor magnus, si vera in coniuge, maior.

Hæc vera Coniux censendæ, quæ plus amat.

Putem, Salomonem, si hanc litem judicaturus esset, eodem modo usurum, quo inter duas matres: procul dubio illi demum Vxoris nomen daturus, quæ imimpensiùs amaret. Mariti fruitionem & Infantis controversi, secundum eam judicaret, quæ maiorum eius conservandi curam proderet, non quæ discerptum membratim cuperet, & famam violari iis iniuriis, quæ nec inimicum os decerent. Præterea, quæ possessio magis iuridica fuerit, quàm ea, quâ Duces Matrimonium redintegrârunt consilio Theologorum vitupeiro expertium (ut & superius dixi) post longam adeò separationem, Iustitiæ denegationem & protestationes inter-

Domina Beatrix gaudet possessione legitimâ.

intercedentes secundum formas & solemnia requisita, quæ sic in iudicium, quod homines aut corrumpebant aut recusabant, transiêrunt.

Quod eò dictum nolim, ut argumentis superfluis implicer, Dominiumq; litibus exponam colore defensionis. Neq; enim hoc controvertitur, an Papæ licuerit hoc prohibere: nam hoc disputandum proponere fuerit crimini: sed quod mihi reliqvum est probandum, quid fecerit, non quid facere debuerit.

Videtis Dn: Ordines, hâc clausulâ criminosâ; quæ Judicium supremum, Deum inter & nostrum Dominum ponit, id fieri. Nam etsi Papæ, causâ nihil imminutâ, hanc potestatem largiamur, ut nomen Uxoris prorsus tanquam Vxoris auferat (quod ille hodie sibi sumit, neq; nos ferre possumus sine prævaricatione) est arbitrium iudicandi, an Ducissa Lotharingiæ necessariò nupta sit Duci? hoc ausu ius in Leges Reip: sacras, quod summæ potestatis apex est, quam quis concipere queat, acquirens.

Papa vult iudicare de Legibus fundamentalibus Reip:

Quid reliqvum fuerit Dn: Ordines, nisi dehinc flammas & carnifices avertere? Fortassis tardiores estis ad hæc credenda, quòd mitiora in Nos à Papa speretis: quòd à paterno eius animo, usurpationibus, quæ orbem Christianum nunc vastant, potius finem, quàm proprii exempli assertionem expectetis: quòd obedientia alicubi excussa, alicubi dubia, non neglecta, ad ea postulata abeat, quæ per illegitimam potestatem admixtam, etiam nonnisi nefariè hactenus libatam, odio exponant. Hoc dicetis, non adeò humanarum literarum scientem, ut divinis neglectis, terminos à Christo Ecclesiæ & Legibus & suo ipsius exemplo constitutos ignoret. Dispiciat ipse, an tributum à Christo iussum & præ-

Consilia Papæ in temporale ipsius spirituale convellunt.

Papa non adeò malus est poëta, ut & malus Theologus debeat existimari.

Ordo temporalium & spiritualiũ à Jesu Christo introductus: ab Apostolis, inprimis à divo Petro observatus.

& præstitum Cæsari abeat in testimonium humilitatis aut ambitionis: si litis civilis inter fratres duos ad judicem constitutum reiectio, charitatis fuerit signum neglectæ, aut ordinis iam inde inter Jura Ecclesiastica & secularia constituendi. Non nescit Sua Sanctitas, quomodo Petrus omnem excellentiam secularem, & suo & Apostolorum nomine, maximè verò Successorum, lubens abnegârit: idq; immediatè, postquam Clavium potestatem accepisset, Dominationi temporali (vel saltem quâ talis est) minimè convenientem iudicans. Non

à divo Paulo.

nescit sua Sanctitas, quam reverentiam divus Paulus Imperio præstiterit, non ampliori, quàm civis titulo contentus. Non nescit inquam sua Sanctitas, blasphemiæ proximum, siquis, caput Ecclesiæ minus iuris exercuisset, quàm Vicariis reliquisset, statuat: Apostolosq; istos glor â maximâ præfulgentes minus summos fuisse quàm Successores. Incrementum Potestatis Ecclesiasticæ stabilire, æquè sanè absurdum ac eius imminu-

Potestas Ecclesiastica nec crescit, nec imminuitur.

tionem metuere: utrumq; error nigro calculo dignus, ut qui firmamentum & constantiam immutabilem à Christo Ecclesiæ promissam convellat. Non eo excedet sua Sanctitas, ut doctrinam, quam omnes Patres primorum seculorum Græci, Latini, Africani, Galli: quorum aliqui, iiq; antiquissimi, in confessione fidei universali

Antiquorũ Patrum de potestate Ecclesiæ confessio.

obedientiam in Principes, immediatè à Deo secundos, inter Mortales primos, articulis primi momenti apponunt. Aliqui verò Ecclesiam ab Politia secernunt, invasiones in aliena detestati; & hoc asserentes, Ecclesiam adeò abesse ab ulla potestate in Principes per rationem Clavium usurpandâ, ut potius sacrilegio

Ecclesia est Respublica spiritualis.

usurpationem notent. Non nescit sua Sanctitas, Ecclesiam esse Remp: purè spiritualem, cuius termini

uni-

univerſus Orbis terrarum ; Cives fidelium Animæ ; Finis earum ſalus ; Magiſtratus Sacerdotes, Epiſcopi ſub uno capite viſibili: Principes etiam, Reges & Imperatores, quatenus ſunt Chriſtiani, eodem prorſus, nomine Civium cenſendos, ut plebis extremum quemlibet: & viceverſa Sacerdotes, Epiſcopos, Papamq; ipſum (Dominio Romanenſi, quod tolerantia Imperii ſummum habet, excepto) non poſſe nec debere ſibi quicquam præter Subditorum & Civium nomen arrogare. Summa, ſua Sanctitas nolit Religionem minori à Theologia honore affici quàm à Politia, quæ eam reverenter à corpore civilis communionis, ne Sancta profanorum admixtione polluat, ſegregat.

Ambitio Barbarinorũ in Principes ipſũque Imperium ex arreptâ poteſtate Eccleſiæ.

Hæc ſanè argumenta, quid Papa ſibi poteſtatis perſuadere debeat, eius verò uſum in Nos moderatum non demonſtrant: enimverò non primi nos minas vanas Barbarinorum ſuſtinemus. Imperium vim earum excipit, ubi unà cum præfectura Romanenſi tiaræ Papali antiquiſſimam & ſummam Maieſtatis Imperialis notam conati ſunt aſſuere, ſucceſſione tam in Jus Cæſarum quàm Apoſtolorum quæſitâ. Locus quem dignitas hæc fictitia ſupra Legatos Regnorum ambiebat, non aliorſum tendebat, quàm ut Imperator aſſenſus novum homagium per ſuæ perſonæ Vicarium præſtaret. Nam ipſius Legatus primò fuit, idq; iteratò compellatus, ut locum cederet honoratiorem cuidam, qui propinqvus Papæ id in mandatis ſe habere aiebat. Quo negato, cõſilium Barbarinorum patuit, ut per iram in hęc inſolenter verba proruperint; Si Papa vellet cum Imperatore ex rigore agere, non niſi Vaſalli nomine cenſiturum. Quod ſi tempus animadvertatis iſtius ſuperbæ propoſitionis

inveniesis Imperii hostilem desolationem, quam Papa videtur ad summam quod deerat dignitatem rapiendam captasse. Ita est, Domini Ordines, Reipubl: afflictis, qualis nostra est hodie, bellum indicitur; credentque Barbarini, apicem Ecclesiæ suis consiliis elevatum, si tyrannidem in Principem benè de ipsa meritum persuadeant. At soli Vos potestis eam hoc probro liberare, si planum feceritis iudicio constituto, vos non contendere adversus Communem Matrem, sed contra ipsius & nostros hostes. Si verò mollius agatis & timidius, vestra conniventia loco accusationis fuerit, omnibus mortalibus inde credituris, Vos noxiis ob Patroni eminentiam parcere. Dirimite igitur causam ipsius à causa hostium & vestrorum & illius. Nam eodem honore habuero, qui autoritatem Ecclesiæ ultra limites proferunt aut coarctant: qui ius in temporalia vindicant, aut in spiritualia negant: qui palpo lædunt, aut hæresibus lacerant, Criminis diversitate ex opinione illius, qui vere dicebat: *pessimum inimicorum genus laudantes*; inventa. Vnde putatis semina Religionis apud Iappones & Orientales suffocata? Vnde Principes Europæos corruptos & à conversione etiamnum alienos, nisi falsa hac opinione novæ istius Theologiæ imbutos? Reversis in gremium Ecclesiæ Principatu cedendum, Rebuspublicis ignominiosum iugum à tot trapezitarum & Italorum negotiatorum familiis, quotcunq; satis pecuniarum Cardinalitio galero, comparando possederint, paratum.

Vecordia Barbarinorum in afflictos.

Adulatores & hæretici æquè damnosi Ecclesiæ.

Causa Religionis eversæ.

Vos errantes istos reducere potestis generoso consilio, quod hodie statuetis. Discent illi vestro exemplo, posse se non reclinato honoris culmine & salvo iure Principatus obedire Ecclesiæ, & genuinos Catholicos

licos censeri, servitutis jugo non recepto. En Domini Ordines, maximam operam Ecclesiæ Romanæ præstandam.

Deniq; ut in fine eundem animum demonstrem, quem in principio; iterum Vos rogabo, ut recordemini, quid Principi, quid Patriæ & quid Vobisipsis debeatis. Decimo ferè hoc anno tot viri boni & fulgentis fortunam Domini secuti sunt; qvidam vitam cum gloria finierunt, aut oppugnantes, aut propugnantes, aut dimicantes, ut quod Barbarini conantur rapere conservarent: quicquid puri & nobilis sangvinis in Reipubl: venis adhuc latet, prodire & effundi in eiusdem Causæ defensionem flagrat. Nunc vestrum est, Domini Ordines, dimicare exorté hanc pugnam nacti. Calamitates, exilia; mortes, supplicia, nec Zelum nec Fidem animarum generosarum superârunt; Absit, Vos, Domini Ordines, ad levia, ne dicam vecordia argumenta, famam censurarum ineptarum, minas chimærarum vacillare. Nihil his impedietur *Curia, parem justitiam administrans, ad Deductiones Domini Procuratoris generalis in hunc finem pronunciare & jubere, ut illa Clausula cum cæteris eiusdem scopi ex contextu dicta Bulla eximatur, & in manus Executoris summa Iustitia tradatur, laceretur, & comburatur, atq; in cineres redigatur: præterea ut inquiratur in Autores & Procuratores dictarum clausularum, quò plectantur, si sint Principis Vasalli aut Subditi, ut criminis læsa Maiestatis in primo capite, proditionis & felonia in Rempub: & Principem rei: alieni verò, omnibus viis facti, ut hostes Reipub: infestentur. Sic Curia Iustitiam administrarit.* Adhortatio ad Ordines.



Ad Lectorem.

DUo habe: Vnum, hanc Orationem tumultuariò collectam ex ore Advocati coram Judicibus loquentis, admodum difficulter calamo volante excipi potuisse in tot periodis, quin vitia omissionis, additionis aut mutationis arrepserint, quæ excusabis, donec author desiderio tuo totâ eâq; correctâ oratione plenè satisfaciat. Alterum, Principem huius petitionis certiorem, cùm videret suos ferventius, quàm nimia eius patientia & reverentia in Sanctam Sedem postulabant, ferri; Nuncium singularem misisse, qui silentium imponeret Procuratoribus & Advocatis Generalibus, Curiamq; à procedendo in judicio usque ad ampliora jussa abstineret. Qui tamen nisi tertiùm sub capitis pœnâ jussi parere noluerunt: id protestati, non defuisse se muneri suo, dictamque Excommunicationem cum clausulis insertis nihil præjudicare aut Principum personis aut Reipub: Dignitati.

Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sanctâ: ab homine iniquo & doloso erue me.

Curia, antequam pronuntiaret de Postulatis Procuratoris Generalis, Theologorum consilia de nullitate Censuræ disceptandæ expedivit, qui quod sequitur responderunt.

Doctores consulti, visâ sententiâ Excommunicationis prolatâ contra serenissimos Principes, Carolum Ducem

Ducem Lotharingiæ, & Dominam Beatricem, Dominam Cuisantii, quæ legitimum Matrimonium Principis prætendit, Nono Aprilis Anno 1642. Veritate Factorum, quæ Procurator Generalis Parlamento Lotharingiæ & Barrii in sua litis contestatione produxit, præsupposita:

Dicunt, dictam Excommunicationem esse nullam *in utroq; Foro*, propter Causas sequentes.

Primò, quia omnis Excommunicatio, jacta contra Justitiam commutativam, nulla est *in Foro interiori*, per doctrinam universalem Doctorum omnium. in cap. nemo. 2. q. 1. & in cap. de illicita. 14. q. 3. Eaq; Iniustitia consistit in eo, quòd aut Causa Excommunicationis non sit vera; aut quòd Lex vel Præceptum, quod Excommunicationem pœnam inobedientiæ infert, sit iniusta. Atqui in hoc negotio, primò causa Excommunicationis vera non est: nam Sententia præsupponit, Duces non legitimè (hoc est thoro & convictu) post primum mandatum separatos esse; sed pro more Coniugii, mutuis invicem officiis, cohabitâsse. At Disceptatio contrarium asserit, nempe fideliter, & thoro & convictu, fuisse, imò & habitatione & oppido, sæpèq; provinciâ separatos: & fortè aliquos dies simul commorandi necessitate adactos, nihilominus habitatione & tecto seiunctos. Præterea, præsupponit Sententia, Dn: Illustrissimam Beatricem renuisse Coloniam, & Lucernam ire, usq; ad Causæ definitionem: Contrarium Disceptatio asserit, nempe, reverà iter suscepisse, sed à Cardinale Infante, cui resistere nequivisset, revocatam. Lucernam fuisse ituram, si Papa decrevisset locum (quod nunquam

Vide Suarez. disp. 4. de Cens. sect. 7. nu. 8. & seq.

invenietur factum) saltem ubi Domina Nicolaa potuisset sententiæ definitivæ vel nolens subjici: Id quod Dn: Nuncius in Galliam ex suo sensu, non verò ex mandatis Papæ proposuerat.

Adhæc ait Sententia, Ducem & Dominam Illustrissimam Beatricem in Couiugium, contemtis per inobedientiam & contumaciam Papæ mandatis, rediisse. At Disceptatio asserit, protestatione in contrariam partem usos; quicquid egerit, pro suo jure egisse, Justitiæ administratæ expertes.

Licuisse post biennalem Thori & Convictûs & Domicilii Separationem redire in coniugium, si actio in causam fuerit negata, nec Judices dati, quemadmodum in Disceptatione dicitur, ubi Textus clarus est *in cap. literas &c. & cap. lite pendente de restit: spoliat. &c.* ubi dicitur, Parti, quæ dissolutionem Matrimonii quærit, incontinenti ius suum probandum. In quod *Hostien. in cap. de illis. de sponsali. &c. & Iohann. Andre. ibid. n. 4.* dicunt: incontinenti nihil ultra triduum significare: alioquin dilationibus & remoris quæsitis atq; fucatis eosdem perpetuò separari, & finem atq; effectum legitimi Matrimonii impediri; Vnde Jus naturale, quod exigit, ut vir cum fœmina societur, matrimonio sc. (divo Thomâ post Aristotelem monente) imò & Jus Divinum violaretur, quod in Genesi ait, Fœminam in auxilium Viri esse factam; & in divo Paulo; ne Maritus ab Vxore, aut Vxor à Marito segregetur, mutuo officia Coniugii reddenda, neutrum defraudandum: Ipseque Christus vetat separare, quod Deus coniunxerit. Quemadmodum igitur *Capite inquisit: de sent: Excomm:* definitum est, si Ecclesia alterutram partem Excommunicatione adigat ad cohabitandum ei, quam per conscientiam novit

Natura monet, ut sit quædã associatio in 4. dist. 80. q. 1. a. 1. Arist. 8. eti. c. 12.

novit esse sibi illegitimam, tametsi in judicio id nequeat probare; potius humiliter Excommunicationem ferat, quàm Sententiæ pareat: quoniam Doctores apud Sanchium aiunt, Excommunicationem *in foro exteriori* eum non incurrere. Quicunq; igitur per Conscientiam novit, Coniugium suum bonum & validum, quod tale in judicio probare queat; separatus secundum sanctos Canones ad tempus Causæ judicio contradictorio & definitivo cognoscendæ satis amplum, quo nihil intermisent ad Justitiam consequendam, eaq; negata, aut prætextibus & fucis quæsitis repressa: poterit denuò sociari parti, & Matrimonium redintegrare, ab Excommunicationibus in contrarium, aut omninò impediendum immunis: quoniam ex Regula Juris, quando Jus de Facto aliquo disposuit, de omnibus cæteris, eiusdem aut maioris rationis disposuisse præsumitur. Cohabitare quam nôris illegitimam tibi; coniugalia officia denegare, & separari ab ea, quam per conscientiam nôris tibi legitimè junctam, eiusdem sunt malitiæ & iniustitiæ. Nullitatem Matrimonii non posse probare, minus favoris in Judicio procul dubio meretur quàm posse & velle validitatem probare atq; reiici à Justitia negata.

Atqui Dux secundum disceptationem biennium thoro & convictu & domicilio à Domina Illustrissima Beatrice vixit separatus, tempus definiendæ istiusmodi causæ satis longum, quo toto omnem diligentiam Judices obtinendi & juridicè procedendi adhibuit. Pro justitia recipit mandata iniusta Judicio protrahendo & negatæ Iustitiæ pallio quærendo. Perpetuóne tandem Vxore carendum, fructuque

H Con-

Coniugii? Neutiquam. Nam Canones *l. tt. & lite* quos ſuperius adduximus, permittunt, ut parti denuò ſocietur. Sed utri iſtarum? anne Dominæ Illuſtriſſimæ Nicolaæ, quam per conſcientiam novit, poteſtq; & vult in Judicio probare ſuam non eſſe conjugem? Canon ſuperior *Inquiſit.* vetat, vel contra Excommunicationis mandatum. Verùm ipſa prior eſt jure poſſidendi: potiuſq; pro primo Matrimonio eſt præſumendum. Maximè: ſed ipſa ſponte à Duce ſecedens, atq; apud hoſtes, ut omne jus & authoritatem Mariti in Coniugem præpediret, præſidium quærens; poſſeſſione conceſſit, & divortio facto locum dedit alteri, ut ſuum matrimonium ipſa nullum reputâſſe credi poſſit. Unde Duci ad eam redire, quam ex conſcientia legitimam ſponſam putabit, liberum fuit; in quo nihil præter ſuum jus commiſit, neuter contemtus, inobedientiæ aut contumaciæ arguendus. *Qui ſuo jure utitur, nemini facit injuriam*, ſed *jure divino, naturali & humano* in hoc negotio.

Uxor ſecūdum SS. Canones, non debet ex propriâ authoritate ſemetipſam ſeparare à marito; ſi ipſa ſemet ſeparet, debet Cenſuris ad revertendū compelli cap. paſtoral. etiam brachio ſeculari invocato. Corarru in Epitom. decret. part. 2. cap. 70. Sancheus lib. 9. de Matrim. d. 24. q. 4. Quòd ſi poteſtatem potentioris præſidii in ſeparationem ulteriorem adhibeat, in perpetuo peccato mortali vixerit. Ex quo rectè creditur Illuſtriſſima Domina Nicolaa conſcientiæ adeò ſinceræ, ut niſi ſuum matrimonium nullum reputaret ipſa, non ſic ut fecit, ſeceſſura fuiſſet.

Secundò, præceptum aut mandatum, quod præſentem Excommunicationem ut pœnam inobedientiæ iniunxit, æquè iniuſtum eſt. Nam ſanctus Pater in hoc præſenti caſu non niſi canonicam Separationem jubere poteſt. Verùm ad Canonicam Separationem ſatis eſt illa thori & convictûs, & ad ſummum, domicilii. *Cap. ſignif. de eo qui duxit in matrim.* exigens, ubi domicilii ſeparatio nequeat eſſe, tantùm Jusjurandum de abſtinendo, quoad lectum & convictum. Unde mandatum de Cœnobio eligendo, aut Lucernam abeundi, eſt injuſtum. Neq; poteſt allegari, mandatum hoc interceſſiſſe,

ne fraus fieret Separationi; quoniam, etsi partes suspicioni locum fecissent propter inobepientiam erga id mandatum, & minus exactam observationem Separationis (quod disceptatio prorsus negat) Papa nihil gravius potuisset statuere, quàm eandem canonicam separationem sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ* jubere: aut cautelam aliquam ab omni suspicione periculi, commodi, famæ, libertatis, valetudinis, vitæ & sumptuũ gravem liberam interponere, neq; Illustrissimam Dominam Beatricem in loca, aut exilii aut carceris rationem habentia relegare.

Si verum sit, quod Disceptatio statuit, Duces primo mandato religiosè obtemperâsse (etsi Dominus Archiepiscopus Malinensis, ex commodo privato, testimonia petita negârit, quæ debebat pro ratione muneris speculatorii) mandatum tantò iniustius est, quod opprobrium & infamiam sine ratione affert, ut manifestum fiat, virtutem & conscientiam non satis habere imperii in ipsorum animos refrænandos, exiliis & Claustris ad scandala evitanda inventis: id quod ipsis, sub umbra scandali tollendi, extremo scandalo est.

Si verò prædictus Dominus Archiepiscopus monitoriis & mandatis exequendis de suo addidit, ut Monasterium illud territoriis Regis Catholici contineretur, quod expressum non habent monitoriæ; aut aliud designavit, ubi prædicta Domina Beatrix metuerit vel insidias vitæ, vel valetudinis periculum: cùm præterea prædictus Dominus Archiepiscopus *nulliter egit*, excedens *fines mandati Cap. cum dilect.* Mandatum etiam maiori iniustitiâ tenetur, quoniam prædicta Domina Beatrix sic constituta sub potestate magni principis; Dux, prout res sunt, sua agendi, & Domina Beatrix resti-

tutionis libertate privarentur, si fortè processu judicii suum matrimonium ratum haberetur: sed ipsa, tanquam pignus & obses restaret, unde Dux quæcunque detentores Dominæ vellent, cogeretur subire. Tametsi verò fides, regis Catholici & ipsius Ministrorum diversam possent suggerere: attamen, ut omnia magnatibus sunt scrupulosa (in quorum negotiis alius à privatorum reculis modus est servandus) Iudices Ecclesiastici in casibus similibus nihil possunt statuere, quod queat suspicionem gignere aut metum de commodis temporalibus, quoad famam, valetudinem, libertatem, aut vitam: quorum mandatum alioqui eò iniustius fuerit; quòd Naturam ipsam impugnet, & potestatem suam atq; authoritatem excedat: Et in casu simili, nullatenus ad obedientiam obligatur, etsi tale mandatum ab ipso Papa emanarit, ex doctrina omnium Canonistarum, qui dicunt *mandato Papæ non est parendum, si vel iniustum sit, vel ex eo multa mala, vel scandalum verisimiliter est futurum.*

Felinus in cap. si quando de rescri. n. 4 Innocent. in cap inquis. de sent. Ex Panor. in cap. cum tenea. 6. de præbend. & in cap. ne Dei. 4. de simo. Sanctus Nicon. in epistolâ ad Ecclesiastic. in bibliothecâ sanctorum Patrum citatur à Suarezio in hac occasione.

Ita hoc mandatum de ingressu in Monasterium arctioris disciplinæ sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ* cùm sit iniustum, causaq; excommunicationis sit falsa, ipsa manifesto justitiæ commutativæ repugnăt, atq; ita *nulla in foro interiori: scias pater* (dicebat sanctus Nicon.) *quòd divinæ scripturæ cum divinis Canonibus definiunt, quòd injustæ quæ imponuntur punitiones apud Deum non ligant, etiamsi Pontifex eas imposuerit: quantò magis, si inferior, ut dicit Dionysius. Qui itaque incon-*

inconsideratâ sententiâ, & imperante animo aliquem à fidelibus separavit, non solùm eum non attingit, sed in eius caput recurrit: Sicut sancta quoque Synodi pronunciant. Postea sanctum Nicolaum sic loquentem introducit, *si antistes præter DEI scopum punierit, Deus non sequitur: & ecce, invenitur pœna, quæ ab eo infligitur iniusta, & propterea invalida.*

Pro altero argumento Nullitatis potest afferri; quòd secundum Doctrinam omnium Theologorum à Suarezio *disp. 4. de censuris sect. 3. n. 9. & sequ.* adductorum, quando actio, quæ censuram elicuit, non est plenè voluntaria, Censura non incurritur, neque ligat. Certum verò est ex disceptatione, Ducis & Dominæ Beatricis voluntatem aut mentem nunquam fuisse Ecclesiæ obedientiam, aut sancti Patris proiiciendi, cùm semper sint protestati paratos se ad obediendum, tùm quicquid ex iure mandaretur, tùm quicquid subire se teneri scirent: subierunt enim plus quam tenebantur, utpote Coloniam itinere, suscepto nisi vis maior inhibuisset, & Monasterii ingressum, modò ex mandato libera fuisset electio: postquam etiam ad invicem redierunt (post biennalem separationem secundum normam sacrorum Canonum, & usum Ecclesiæ) protestati sunt coram Ordinario loci, aut Vicario eius maiori, non hoc fieri animo inobedienti aut contumaci in Ecclesiam, sed propter iustitiam denegatam, ut suo iure uterentur, & obstacula quæ soboli impediendæ quærebantur, tollerent.

Actus imperfecti voluntarii, excusat à Censura, hoc involuntarium pensatur ex circumstantiis in utroq; foro. Suarez. supra.

Ita secundum omnium Doctorum præcepta, imperfectio involuntarii actus colligitur ex circumstantiis, quæ illum seqvuntur *in utroq; foro.* Clarè sequitur in casu præsenti, neq; inobedientiam, neq; contumaciam fuisse plenariam, imò nullam prorsus fuisse, ac perinde nullum effectum censuræ.

Requiritur sufficiens monitio in Censuris per præceptum superioris prohibentis vel præcipientis aliquid sub censura ipso facto inducenda; ita ut sit cōtumacia & inobedientia ad Ecclesiam, ut incurratur. Suarez disp. q. sect. h. n. 10.

Tertium argumentum Nullitatis in præsenti excommunicatione deducitur ex eo, quòd sit contra justitiam legalem, unde nulla redditur *in foro exteriori cap.* 10. *& cap. cum inter de rescript.* Censura est contra justitiam legalem, quando ordo juris, inprimis in solennibus essentiæ, intervertitur, nominatim quidem, quæ ex jure naturali aut positivo iterato fluunt, qualia sunt Monitiones sufficientes, auditio partium, aut saltem citatio, juridica demonstratio facti & contumaciæ: nam excommunicationem coniicere, aut promeritam declarare aliter quam *juxta allegata & probata juridicè* & non audivisse, vel saltem citâsse partem litigantem: vel sine monitionibus sufficientibus & præcedentibus, nihil est pronunciare & declarare, neq; censura locum habet *in foro exteriori*, etsi aliàs justa foret, *cap. cum inter de re judic.*

Atqui per allegata ex disceptatione neq; Dux, neq; Domina Beatrix fuerunt audit aut citati: si quæ testium scriptitiorum aut vocalium prolatæ sunt depositiones, neq; illæ communicatæ fuerunt, neq; illi nominati, ut reiicerentur aut refellerentur. Ex ipsa Bulla colligitur Papæ mens post monitorias immutata, dum ipsi placet, Dominam Beatricem Monasterio non includi, modò Lucernam iret, finem ibi processus præstolatura, nulla interim monitione factâ. Et quod plus est, postquam audiri petierunt, ut probatum facerent, se à primo mandato separationem Canonicam, id est

thori

thori & mensæ (ut dictum est) religiosè observasse, per biennium ferè, quo omnem diligentiam adhibuerunt, ut procederetur & iudicaretur de summa negotii neq; in hoc admissi fuerint, ubi & zelus cuidam procuratorum crimini sit datus carcere & periculo remigii in metum cæterorum intentatis: qui ne malè administrati muneris postularentur, protecti sunt contra Ducem: quidam Doctores, qui bona fidè & liberè suum prodiderint consilium de matrimonii istius validitate, sic omni consilio & defensione sublatis ad sententiam revocandam coācti: omnis generis instrumenta iuridica negata: non recepti, nec per viam appellationis propter Domini Archiepiscopi Malinensis instituta, nec per modum refellendi obiecta, nec per accusationem falsi, & demonstrationem falsorum, quæ ipsius relatio continet: ut plurimum fasciculi Ducis & procuratorum intercepti, quò omnis communicatio tolleretur, atq; alia compluria istiusmodi facta, quorum aliquot, aut unico duntaxat (modò sint de numero substantialium) verè supposito, necessariò concludendum est, sententiam esse nullatenus iuridicam, legali iustitiæ contrariam, dispositionem iuris non tantùm omissam, sed & violatam: itaq; nullam *in foro exteriori*. Neq; attinet quorundam Canonistarum doctrinam proferre, quod citatio non sit necessaria, quando pars litigans nihil potest aut vult allegare: nam ut hoc nil ad rhombum facit, quoniam Dux & Domina Beatrix habebant, & volebant, & poterant complures exceptiones invictas, ex tenore disceptationis allegare, sic etiam verum est, eam doctrinam non universaliter intelligendam, nam secundum universam Theologiam & eius praxin, etsi Censura *in foro interiori* per formalem

Panorm. & Felin. in cap. de sent. & re iudicata.

malem & completam inobedientiam contra legem justam aut præceptum inferens excommunicationem *latæ sententiæ* sine ulteriori formâ processus, possit incurri: non tamen incurritur *in foro interiori*, neq; ubi declarari ut valeat, aut effectum adipisci potest, nisi pars litigans saltem fuerit citata & audita, volens audiri: nisi inobedientia iuridicè fuerit probata, & sententia lata *juxta allegata & probata*. Jura quæ superius adduximus in eum finem, sunt expressa.

Parlamentum Parisiense, regnante Henrico III. longius abiit vetans bullam *in cœna Domini* per Galliam recipi, hâc additâ causâ (ut Doctor Navarrus attestatur) quòd Papa subditos regis inauditos excommunicaret: idem Parlamentum anni præteriti, mense Junio idem decrevit contra aliam bullam censoriam.

Navar. l. 1. consil. 1.

Etiam Papa non potest in partem inauditam sententiam ferre. disp. 3. sec. 8. n. 7.

Itaq; quoscunq; solennes defectus Papa supplere queat, quâcunq; etiam facti notitiâ valeat; nunquam supplêrit defectum Citationis, nec probationis juridicæ, prout Doctor Suarezius docet, quoniam talia solennia sunt *juris* naturalis. Nam ut sententia authoritatem publicam nanciscatur, oportet ut notitia publica sustineatur, quæ extra probationem juridicam & citationem partis litigantis non cõstat, prout idem Suarezius, Caietanus, & omnes Doctores docent. Sic etsi Papa omnes defectus *juris* & facti & solennium substantialium supplêrit (veluti in hac censura fecit) sententia nihilominus & excommunicatio, si talia solennia desint, fuerint nullæ.

Per totum fermè titulum de sent. excom.

Quartum argumentum Nullitatis sumitur ex errore, quem sancti Canones intolerandum vocant, omnemq; vim Censuræ directæ & *juridicæ*, etiam *ratione scandali* aufert. Error iste (ut omnes Doctores, qui hanc mate-

materiam ſcriptis elucidârunt, & præ cæteris *Angelus*, docent) etiam ex ſententia iniuſta excommunicationis elucet, ut quæ ex cauſa iniuſta & non ſufficiente pro lata fuerit. Cauſa autem eſt iniuſta & non ſufficiens ad excommunicationem maiorem; vbi non adeſt peccatum mortale, & ubi res mandata aut prohibita præcepto nō continetur, ſed tantum conſilio. Exempli gratia, ſi Papa cuidam neceſſitatem ſingulis diebus miſſam audiendi, aut omnes ſermones accedendi ſub pœna excommunicationis *de facto* imponeret; Ipſe minus obediens excommunicationem non incurreret, neque teneretur Sacris abſtinere, aut Eccleſiaſtici eum ægrè recipere, contra omnes denuntiationes, declarationes, & publicationes: modò ſententia (ut dictum eſt) hoc contineat, ob hanc cauſam excommunicatum, quoniam errorem non tolerandum contineret. Suarezius, qui hanc doctrinam probat cum omnibus reliquis, præterea hoc exemplum adducit, Si Papa excommunicaret eum, qui Petrum diffamaverit, etſi clero adſcriberetur, aut excommunicatus viveret, excommunicationem fore nullam, quod errorem non tolerandum contineret: contineret verò errorem non tolerandum, quia ob rem præcepto non comprehenſam, ſcilicet Clero adſcribi fieret: unde obedientiam non præſtare, peccato mortali caret, neq; refert, peccari in diffamando Petro: ſiquidem excommunicatio non ob peccata præterita, ſed futura coërcenda & prævenienda eſt introducta.

Angel. Excom. 3. num. 13.

Vide Suarez. diſp. 4. ſect. 7. n. 31. & ſequ.

Sup. Sect. h. n. 14.

ut pœna sit iusta, delicto conveniat oportet: consilium quoq; Tridentinum iubet, ut omnes aliæ peccatum corrigendi insistantur viæ, ante censuram, inprimis maiorem. Sed sententia, de qua quæritur, vult ut Domina Beatrix Monasterium arctioris disciplinæ, separationem sine fraude observatura ingrediatur: sin minus, incursuram excommunicationem *ipso facto*. Nihil dubii iniustum hoc esse, quia nullum præceptum extat, quod obliget ut separatio sine fraude eaq; canonica observetur in Monasterio arctioris disciplinæ; neq; ad ullum peccatum transgressionis. Atqui prædicta sententia supponit, eandem separationem prius non exactè, sed simulatè tantum fuisse observatam. Neq; hoc refert, quoniam excommunicatio delictum præteritum non respicit, sed futurum præventum vult. Vnde sententia fuisset iusta, si mandatum extitisset de servanda separatione sub pœna excommunicationis *ipso facto*, utpote præcepti: Quando matrimonium controvertitur, *saltem in foro exteriori*, separatio fiat lite pendente, usq; ad causæ definitionem: non etiam peccato caret, non separari, propter scandalum. Sed iniustum est, Monasterium imperare, ut separatio servetur, quia id præcepti non est, & peccato caret, non paruisse. Eoq; iniustius, quicquid sententia supponat de separationis fraude dum non nisi per *audivimus*, auditu id probatum ait, argumentum non iuridicum. His adde, complures alias cautelas ad manus fuisse fraudibus nuncupatis coërcendis, (si animus erat ad amussim præter morem procedendi) præter illam, opprobrio & difficultati subiectam: unde magis efficax, & magis expedita magisque iusta erat, iudices in loca non suspecta deputare, qui de summa rei dispicerent, exactè (præsentes utique) separationem servandam, parti-

partibus per viam etiam juris adactis, aut negotio deserto, curarent.

Itaq; ut hæc censura errorem non tolerandum continet, si quis Petrum diffamaverit, aut clero adscriptus, aut excommunicatus vivens; Sic ista altera prorsus similis, si quæ separationem canonicam exactè non servârit, aut Monasterium ingrediatur, aut excommunicata vivat, id quod in præsenti Censurâ concurrit.

Præterea, quod Ducem attinet, eâdem sententiâ dicitur, iniunctum ei fuisse, ut canonicè à Domina Beatrice separaretur, donec de nullitate primi matrimonii, sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ ipso facto incurrẽda*, iudicatũ esset. De quo ita disputatur: Aut volebat Papa Ducem separatum distinere, si non in perpetuum, at in longum tempus, maximè verò ulterius quàm ad instruendum & iudicandum istiusmodi processum requireretur: ubi iniustitia manifesta est, & error non tolerandus, ac ipsa Nullitas: Aut volebat Papa eousq; separatos distinere, & ut ingenuè loquar, quantum bona & promta iustitia exigeret in simili casu. Certum est, Ducem separatum canonicè, maximè post postremas monitorias, diutius quàm necesse est ad terminandum iudicium contradictorium similis difficultatis: nempè à tempore prædictarum monitoriarum, usq; ad protestationem factam coram Ordinario aut eius Vicario maiore de iustitia denegata &c:

Sic igitur Dux patuit, nec excommunicationem

detrimenti quæ ex mora non corrigenda naſci poſſent, atq; ut pericula metuenda evitentur.

Deduxerit verò Dux Dominam in Lotharingiam, uſi ſint aliquando eodem domicilio, civilis intercesſerit aliqua converſatio : id verò canonicæ ſeparationi nihil derogaverit, ſic & voluerit à ſubditis eam coli, quã legitimæ coniugis loco habere contenderet, & quàm ab Ecclesia tandem talem pronunciandam atq; habendam ſperaret. Cùm ita omnia ſeparationis canonicæ conſtitutionem, ſed tantùm thorum & convictum ſecundum ſacros canones & uſum, non attingant; nulla ibi intervenit inobedientia.

Quòd adeò verùm eſt, ut eadem ſententia dicat, nihil obſtantibus omnibus ſupradictis, excommunicationem eos non incurriſſe : *neq; tamen nos, ut merebantur, indignationis Apoſtolicæ fulmen in illos contorſimus* : quod tamen futurum erat, ſi ſeparatio canonica violata fuiſſet actionibus cæteris, quoniam mandata erat *ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ*; eodem momento, quo inobedientia committitur & perficitur, fulmen indignationis Apoſtolicæ torquetur , id eſt (quod omnes Doctores habent) excommunicatio incurritur.

Vnde clarè infertur , Papam , quod excommunicationem incurrerint non declarato , niſi poſt quam proteſtatione factâ , ad invicem redierunt, ut ex ſententia patet : Papæ animus erat , ſeparatos eos diſtinere longè ampliori tempore, quàm judicium de nullitate primi matrimonii poſtulabat. Atq; hinc eius excommunicatio in ſe iniuſtitiam manifeſtam, errorem non tolerandum, & abſolutam nullitatem continet.

Nihil

Nihil è contra inſeruit coâcervatio minutiarum, quas author ſententiæ inſtar pulveris in oculos excuſſi, ne iniuſtitia & error paterent, artificioſè inſperſit, nempè *tantum abfuit ut dicto ſe audientes exhiberent, quin imò Carolus mala malis addendo &c.* deinde illud alterum, *ut merebantur:* quoniam iſti termini proximè ſequentes refelluntur in eâdem ſententiâ. Nam ubi dicit, dicto ſe audientes non exhibuiſſe, & mala malis addidiſſe; cõtinuò prodit, quæ ſit illa inobedientia, malorumq; cumulus, nempe deductio Dominæ Beatricis in Lotharingiam, converſatio civilis, honor ut legitimæ coniugi habitus à ſubditis: quæ omnia, cùm ſeparationi canonicæ non ſint contraria (ut ſuperius diximus) nihil mali aut inobedientiæ fuit admiſſum. Idemq; eſt, ac ſi quis diceret, mandavimus ut ne concionibus intereſſet, & tantum abfuit ut dicto ſe audientem exhiberet, quin imò mala malis addendo contra hæreticum diſputavit: capite detecto ſalutavit obviantem in plateis, & animi gratia ſimul diſpatiati ſunt: certum eſt, nihil inobedientiæ ibi committi.

Similimodo, ubi ſententia ait, *ut merebantur*, iſta clauſula per illam alteram *fulmen Apoſtolicæ indignationis non contorſimus* refutatur: quoniam, ut ſuperius dictum fuit, ſi fulmen meriti fuiſſent actionibus prioribus, eodem meriti tempore perculſi fuiſſent. Ita ut, dum Papa ait in ſententia, nihil obſtantibus illis actionibus nondum perculſos, neceſſariò ſit inferendum, tum nondum meritos fuiſſe, ſicuti nec poſtea per reunionem, ut dictum eſt meriti fuerunt.

modum ſine cognitione cauſæ, accuſat & condemnat Ducem, quod ex propria authoritate Dominam Nicolaam rejecerit, & Beatricem duxerit: forte ubi proceſſus inſtruetur, approbante Ordinario loci factum invenietur. Quod *nefarias nuptias & deteſtandũ facinus* vocat mattrimonium cum Beatrice: quod nihilominus Dux bonâ fide, & conſilio doctiorum hominum & ſcrupuloſiorum in hoc ſeculo ſuſceptum aſſerit, quodq; forte iudicio Eccleſiæ iuridico aliquando ſanctum & legitimum ſit declarandum. Quod iſtud conſilium ipſi vocatur *peſſima conſultatio*, cum ſenſum eius ignoret, & argumenta quibus nititur: ut præteream alia ſimilia præiudicia & atroces terminos, à ſententia alienos, quæ vel abſolutoria, vel condemnatoria, parili lenitate debet pronunciari, ſine criminis aut delicti exaggeratione (licet iuridice demonſtrata eſſent) per adiectiva diffamatoria: ſiquidem iuſtitia nunquam iraſcitur perſonis: qui omnes termini & præiudicia iniuſtitiam excõmunicationis, errore non tolerando amplius retecto, aſtruunt.

Quintæ nullitatis argumentum ſubreptionem excommunicationis & *in utroque foro* ſtatuere poſſemus. atq; ea & per omiſſionem ordinis iuridici requiſiti & per expoſitionem falſi, atq; etiam per ſuppreſſionem veri, ex collatione diſceptationis cum ſententia evidenter manifeſtatur. Quod ad odium Sancti Patris adverſus Ducem attinet: ſupponemus quod diſceptatio innuit, & eum ex fœdere ſecreto, authoritate Eccleſiaſticâ ad vindictam in fœderatorum inimicos exercendam uti, ut damnum perſonis, famæ, dignitatibus & Dominiis ipſorum inferat: non creditur ulla obligatio ad eum Judicem ferendum: & ipſe humiliter rogatus ut cauſæ cognitione abſtineat, ſi pergat, nemo obligabitur ad diſ-

ceptan-

ceptandum coram ipſo, omneſq; eius excommunicationes pro coactione nullius erunt momenti: quoniam ut princeps terrenus & ratione Dominii, poteſtate clavium deſtituitur, quocunq; pallio authoritatis ſpiritualis ſplendeat.

Quod alteram partem ſententiæ ſpectat, quâ inſuper Dux & Beatrix jubentur ſeparari canonicè, & vetantur ſeſe invicem coniuges putare; & nominare, aut nominari, agnoſcere aut agnoſci Beatricem Duciſſam Lotharingiæ: quod ſeparationem canonicam attinet, videtur excommunicatio iniuſta, & contra juſtitiam legalem, partibus non citatis, & contra juſtitiam commutativam: nam dato hoc ex diſceptatione diu fuiſſe thoro & convictu revera ſeparatos: nova ſeparatio ipſis iniungi non poterit; alioqui iſtoc modo in perpetuum ſeparandi poſſent diſtineri, & fructibus, effectis, fineq; matrimonii privari: id quod juri naturali, divino & humano, ut ſuperius demonſtravimus, repugnaret.

At ſi hactenus ſancto patri ſubreptum fuiſſe, atq; eos verè ſeparatos pateret; falſis verò nunciis & teſtimoniis contrarium perſuaſum ſit: Conſulentes putant novæ ſeparationi adſtringi, modò juſtitiæ nulla injiciatur remora. Sicut & ſancto Patri liberum eſt, quam exactiſſimè illam ſeparationem obſervare, uſq; ad definitionem cauſæ: modò nihil jubeat niſi juſta, & quæ non ſint pœnæ loco, probroſa, oneroſa, aut partibus periculoſa: alioqui iniuſta, & ad obedientiam non obligatoria, ut ſuperius demonſtratum eſt.

Altera pars huius novæ excommunicationis con-

junctos credunt, eam persuasionem, & nomen prætensæ rei itidem justè quod putant usurpatum, ante definitionem judicii juridici in contrarium inhibere. Neque verò & sufficiens est; quoniam nullum peccatum in hunc modum extat, nec lex prohibens, sed usus & praxis correspondent.

Istud consultum; salvo meliori.

LECTORI.

HInc vides, easdem sacras scripturas, eosdem sanctos Canones, eosdem Doctores orthodoxos, qui nos authoritatem Papæ & vim Censurarum docent, hujus nullitatem nobis monstrare. Quòd si hæc consulta io, quæ ex ipsorum ore fluit, adhuc *pessima* dicetur; nulla amplius fides, nulla lex, nulla doctrina orthodoxa valuerit, nisi Papalium affectus.

Errata.

Pag. 3. *l.* 14. pro *dedecta* lege *detecta*. *l.* 18. *pro commotatióne l. commotione p.* 12. *l.* 2 *pro ordine l. ardore. l.* 24. *l. profanarum. p.* 15. *l.* 3. *pro esse l. vocari. p.* 19. *l.* 17. *pro honoro l. horrore. p.* 25. *l.* 12. *pro extremum l. externum. p.* 27. *l. so reciperet. p.* 29. *l* 6. *pro distandi l. distanti. l.* 11. *pro dolus l. dolos. p.* 30. *l.* 9. *pro instructum l instructus. l.* 17. *pro jubeatur. l. jubebatur. p.* 31. *l.* 33. *pro expensi l. expensis. l.* 30. *pro sestis l. sectis. l.* 31. *pro dictantibus l. distantibus. p.* 33. *l.* 9 *pro degerit l. degeret. p.* 34. *l.* 9. *pro conformet l. confirmet l.* 27. *pro augustias l. angustias. p.* 35. *l.* 21. *pro & l. est. p.* 36. *l.* 17. *l. voluerunt ad adversarii; Ducem &c. pro uxorum l. uxoris. p.* 39 *l. pro quantocunq; l. quandocunq;. p.* 40. *l.* 31. *pro partos l. partes. p.* 41 *l* 2. *l. secundum testimonium duorum. p.* 42. *l.* 3. *pro Dominum l. Dominium. l.* 23. *pro dictare l. distare. p.* 43. *l.* 32. *pro authorus l. authores. p.* 46. *l.* 4. *pro petioni l. petitioni. l.* 5. *pro dicit l. dicet. p.* 48. *l.* 9. *pro tam l. tum. l.* 13. *pro consciente l. consentiense. l.* 25. *pro majorum l. majorem p.* 50. *l.* 15. *pro exercuisses l. exercuisse. p.* 51. *l.* 19. *pro excipit l. excepit. p.* 52. *l.* 3. *pro Resp. l. Rebbpp. p* 53 *l.* 7. *pro fulgentis l. fulgentes. p.* 54. *l.* 24. *pro expedivit l. expetivit. p.* 57. *l.* 30. *pro recipit l. recepit. p* 58. *l.* 25. *pro putabis l. putabat. p.* 59. *l.* 9. *pro gravem l. gravium. p.* 60. *l.* 6. *pro diversam l. diversum. p.* 60. *l.* 15. *pro repugnant l. repugnat. p.* 64. *l.* 4. *pro ubi l. ibi. N. pro Malinensis lege Mechliniensis.*



FINIS.